*In Cæcil.* 5. lege *agere*, eſt actionem alicui intendere ex lege aliqua, quæ facultatem intendendæ actionis dat: *oportere eorum arbitratu* lege agi, *quorum cauſa lex ſit conſtituta*. Pro eo paulo poſt eſt: *quo nomine abs te H-S millies* de lege repeto. Confer *Muren.* 11. *poſſet* agi lege *necne*, *pauci quondam ſciebant*. *Faſtos enim vulgo non habebant*, *&c.* In quo loco latius patet *τὸ lege agere*. Nam latiſſime ſumpta hæc formula, continet, quicquid ex lege apud prætorem fit, juris ſui obtinendi cauſa, eique a parte prætoris reſpondet *jus dicere*, vel *reddere*.

LIBERALIS, Flac. 17. *cauſa* liberalis, eſt in qua de libertate alicujus agitur.

*Off.* II. 12. *ſumptus* liberalis, diſtinguitur a neceſſario.

LIBERALITAS. Eſt proprie omnis ratio vivendi & agendi, quæ a liberali educatione proficiſcitur, & eſt propria hominum honeſte, liberaliterque educatorum, eorumque perſonis digna. Sic pro cultu liberali homine digno eſt. *Off.* I. 39. *quæ pertinent ad* liberalem *ſpeciem & dignitatem*, *moderata ſint*.

Pro hilaritate quadam vultus & ſermonis, quæ ſeveritati opponitur. *Brut.* 25. *homo non* liberalitate, *ſed ipſa triſtitia & ſeveritate popularis*.

Pro ſtudio alterius commodis aut largitione, aut officiis inſerviendi, quod eſt liberaliter educatorum proprium. *Offic.* I. 14.

Pro εὐήθεια, qua omnes æque bonos, ac nos ſumus, judicamus, facilitate. *Ad Q. Fr.* I. 1. 4. *a quibus*, *rudis cum eſſes*, *videtur decipi poſſe* liberalitas *tua*. *Nam ut quiſque eſt optimus*, *ita difficillime alios improbos ſuſpicatur*.

LIBERARE. A vectigalibus immune facere. *Agr.* II. 21. liberare *publica*. (Publici agri vectigales ſunt, liberati ergo fiunt privati.) *Verr.* II. 31. liberet *Byzantios*.

Ad Att. XVI. 16. *Buthrotios cum Cæſar* liberaviſſet, ſcilicet, ne agri eorum ex lege Agraria dividerentur.

*Har. R.* 8. liberare *domum*, intellige a religione.

Off. I. 10. *pleraque promiſſa jure prætorio* liberantur, *quædam etiam legibus*, ſcilicet, ne ea ſervare cogare.

In libertatem vindicare *Cæcil.* 17. liberare *ſe a Venere*. Vide Liberta.

Secernere. *Tuſc.* I. 22. *divinus animus* liberatus *corpore*.

Ad Fam. III. 7. *ad facultatem ædificandi* liberare *aliquem*, intellige, ab interdicto.

De prædibus, opponitur *τῷ obligare*. Ad Fam. V. 20. *Voluiſſi* liberandi *meum fuit conſilium*.

In auſpiciis eſt. *Leg.* II. 8. *templa* liberata *& effata habento*. *Liberata templa* ſunt, quæ liberum ab omni parte proſpectum habent. Nam augures cum locum aliquem auſpiciis conſecrant, quod eſt *effari*, jus habent amovendi ea, quæ liberum proſpectum impediunt. *Vide* Off. III. 16.

LIBERTA *Veneris*. Cæcil. 17. quæ ſe a Venere liberavit, hoc eſt, quæ pecunia redemit onus a majoribus acceptum, ſumptus certis Veneris ſacris ſuppeditandi, quod qui ſuſtinebant, ſervi Veneris dicebantur.

LIS. *Fin.* II. 12. lites *privatæ*, ſunt cauſæ privatæ.

Pecunia, de qua eſt judicium. *Rabir. Poſt.* 4. *ſumma* litium, eſt æſtimatio litis, quæ dicitur, *Cluent.* 41. ubi etiam eſt *æſtimare litem*: quod fit, cum ſumma fit omnis ejus pecuniæ, de qua judicium eſt. Tanquam in cauſa de repetundis, in qua lis dicitur æſtimari, cum omnium furtorum, quæ ab aliquo repetuntur, ſumma fit.

LITERÆ. Lingua. *Leg.* I. 2. *abeſt hiſtoria* literis *noſtris*.

Libri. *Div.* II. 2. *Græcæ de philoſophia* literæ. *Brut.* 64. literis *illuſtratum genus ſcriptionis*. Ad Fam. VII. 19. *nullam artem* literis *ſine interprete ... percipi poſſe*.

Tabulæ & chartæ ſcriptæ quæcunque. *Leg.* III. 20. *publicis* literis *conſignatam memoriam publicam non habemus*.

Artes liberales omnes. Or. III. 34. *inſtructa* literis *eloquentia*. Ad Fam. XV. 21. literæ *reconditæ*. Confer *Roſc. A.* 41. *Arch.* 6. *&c.* Mercurius Ægyptiis *literas* tradidit, *Nat. D.* III. 22. Hinc

*Græcæ literæ* ſunt artes Græcorum libris illuſtratæ. *Acad.* I. 2. IV. 2. *Or.* I. 18. II. 7. *Seneſt.* 1. *&c.*

*Latinæ literæ*, Latinis libris illuſtratæ artes. *Academ.* I. 3.

Dicitur tamen etiam de ſingulis generibus, ut de Grammatica. *Inv.* I. 25. *Or.* I. 3. III. 10. *Off.* I. 37. de philoſophia. *Balb.* 1. *Sext.* 51. *Haruſp. R.* 9. *&c.* De reliquis præter philoſophiam artibus liberalibus. *Piſ.* 29. *eſt autem hic non philoſophia ſolum*, *ſed etiam* literis *perpolitus*.

Epiſtolæ. *Ad Att.* XI. 5. *conficere plures* literas *non potui*. *Iis tantum reſcripſi*, *a quibus acceperam*.

LOCARE. Uſum alicujus rei aut fructum alteri certa mercede concedere. *Cæcin.* 6. locare *fundum*. Roſc. Com. 10. locare *ſe* dicitur, qui operam ſuam certa mercede alteri pollicetur.

Confiſtere. *Offic.* III. 17. *prudentia eſt* locata *in delectu honorum*.

*Locant* etiam, qui redemptori aliquid addicunt. *Vide* Redemptor. *Verr.* I. 54. 56. *ad Att.* XV. 17. Hinc etiam *locatio* ſic dicitur *ad Att.* IV. 3.

LOCUS. Caput philoſophiæ, aut cujuſcunque artis, materia. *Div.* II. 1. *perpurgatus eſt* locus *de finibus bonorum & malorum a nobis quinque libris*. Ibid. *quintus cum* locum *complexus eſt*.

Sunt etiam *loci rhetorum*, qui ſunt fontes argumentorum. *Or.* I. 31. *in Topicis* paſſim. Item in arte memoriæ. *Or.* II. 87.

*Loci* autem *communes* ſunt, cum de re univerſa tractatur, cum oratio revocatur ad genus. *Or.* III. 27.

Status, in re gladiatoria & militari, ut gradus. *Catil.* II. 1. loco *ille motus eſt*, *cum ex urbe eſt depulſus*.

Dignitas. *Ad Fam.* XIV. 18. *iſto* loco *femina*. Confer *Verr.* I. 48.





Ordo, claſſis in civitate. *Quint.* 13. locus *quem honeſtiſſime defendit*.

Fundus. *Agrar.* III. 2.

Res. *Verr. Act.* I. 15. *cui* loco *conſulite ac providete*.

Genus, pars. *Off.* I. 6. loci, *in quos honeſti naturam diviſimus*. Ibid. 14. *alter* locus *cautionis*.

Locum relinquere & dare, non eodem modo dicitur. *Verr.* V. 50. *fortunæ alicujus veniam &* locum dare, ignoſcere, concedere. *Cluent.* 42. locum *defenſioni non* relinquere, eſt de judice, qui pecunia corruptus inutilem defenſionem reddit. *Ad Fam.* I. 1. locum *non* relinquit *precibus*, de eo, qui & non rogatus facit, quæ volumus, ut non opus ſit precibus.

Verr. V. 14. *ædilitas in* loco *poſita*, hoc eſt, recte beneque.

LUDUS. De re facili. *Verr.* V. 70. *ad honores per ludum & negligentiam pervenire*. Confer *Fin.* I. 8. *Or.* II. 17.

De fraude. *Dom.* 48. *ſi ille tibi* ludus *fuit* ... *ſi eſt illud ratum*.

*Phil.* VI. 4. ludus dicitur de tempore, quo ludi fiunt.

*Sext.* 55. ludos *facere*, dicitur de eo, cujus ſumptu fiunt.

*Verr. Act.* I. 10. ludi *plebeii*. Confer *Verrin.* V. 14. unde patet Floræ eos ludos factos. *Ad Fam.* VII. 1. ludi *oſci*, ſunt fabulæ Attellanæ proprie, ſed hoc loco dicuntur pro rebus ineptis & ridiculis.

LUSTRUM. Tempus quinque annorum, ſub cujus finem a Cenſoribus Cenſus habetur, & poſtea publicæ preces & ſacrificia, quod dicitur *luſtrum condere*. Or. I. 40. II. 66.

## M.

MAGISTER. Director, ut hodie dicunt. *ad Att.* V. 15. *Verr.* III. 71. Magiſter *ſcripturæ*. Verr. II. 74. Magiſter *Societatis*. Ibid. 70. pro magiſtro *in ſcriptura*, eſt Vice-Director.

Similiter dicuntur *magiſtri* (*auctionum*), qui cum bona alicujus venduntur auctione, ab iis, quorum intereſt, conſtituuntur, ut ejus rei curam ſuſcipiant, quos hodie Curatores bonorum appellant. *Quint.* 15. *ad Att.* VI. 1. *ad Fam.* XII. 30.

Inde Orat. I. 57. *magiſtri carmen*, formula quam pronuntiat auctionis magiſter.

MANCEPS. Redemptor, conductor. Sic publicani dicuntur *mancipes*, quia publica vectigalia redimunt. *Dom.* 10. Item alii redemptores decumarum. *in Cæcil.* 10. Porro redemptor ædificii alicujus aut operis publici. *Verr.* I. 54. Item, qui prædam emit. *Dom.* 18. Item is, qui *& ſector* dicitur. *Roſc. Am.* 8. manceps *hominis ſtudioſiſſimi nobilitatis*, hoc eſt, bonorum ejus. Denique is, qui pecuniam emit, & eam alio loco ei, a quo accepit, aut in eodem genere, aut in alio nummorum ſolvendam curat. *Ad Fam.* V. 20. *erat enim nobis curata pecunia Valerii* mancipis *nomine*, hoc eſt, Valerius redemerat pecuniam ſine periculo noſtro nobis, quo loco volebamus ſolvendam.

MANCIPIUM. *Top.* 35. mancipio *dare*. Confer *ad Att.* XIII. 50. Hoc eſt, jure mancipii, de quo mox.

*Res* mancipi ſunt, quæ venduntur per æs & libram præſentibus quinque teſtibus, quo ritu venditor obligatur ad evictionem præſtandam. *Mur.* 2. *in iis rebus repetendis*, *quæ* mancipi *ſunt*, *is judicii periculum præſtare debet*, *qui ſe nexu obligavit*. Unde *jus mancipi*, ſive *mancipii*. Har. R. 7. Flacc. 32. Cæcin. 26. quod eſt earum rerum, quæ mancipio & nexu, *hoc eſt*, ritu commemorato, nobis traditæ ſunt. Cæterum notandum eſt, Ciceronem, cum jungat plerumque *mancipium & nexum*, tanquam eandem vim habentia, tamen *Har. R.* c. 7. ea diſtinguere; quod & faciebat auctore Varrone Scævola, cum Manilius JCtus pro eadem re haberet. Scilicet Manilius, quicquid per libram geritur, id nexum putabat, adeoque etiam mancipium: Scævola contra ea tantum nexus nomine comprehendebat, quæ per æs & libram dabantur, ut obligarentur, & ab hac appellatione mancipium excludebat.

Mancipium eſt etiam pro formula & conditionibus abalienationis. *Off.* III. 16. *hoc* in mancipio *Marius non dixerat*. Pro quo eſt *mancipii lex*, Or. I. 39. mancipii lege *ſervire dicit*.

MANUBIÆ. *Arch.* 11. *Dom.* 38. *Roſc. Am.* 37. *&c.* eſt pars prædæ, quam imperator capit, ut in monumento aliquo conſumatur. *Vide* Agr. II. 22.

MANUS. Labor manuum. *Verr.* III. 11. manu *quærere*; de aratoribus.

Proboſcis elephanti. *Nat. D.* II. 47. manus *data elephantis*.

Ad Fam. XI. 13. *quæ in* manibus *ſunt*, dicitur de præſenti rerum ſtatu. *Sext.* 32. *res jam* manibus *tenetur*, hoc eſt, pene confecta eſt. *Ad Fam.* I. 9. *Sic in* manibus *habebant*, *ſic oſculabantur*. Ibid. VIII. 1. manus *ad os apponere*; ſignum ſilentii ſervandi. *Flacc.* 6. porrigere *manum*; modus Græcorum ſuffragii ferendi. *Ad Fam.* VII. 5. tollere *manus*; admirantis geſtus. *Ad Att.* III. 15. *vulneribus ſuis* manus *afferre*, hoc eſt, dolorem inſtaurare, augere. *Ad Fam.* X. 23. *Vocontii* ſub manu *ut eſſent*, hoc eſt, parati, ſi quid vellem, ad manum.

Topic. 4. *mulier viro in* manum *convenit*. Id fit per *coemptionem*, de qua ſupra.

MEMORIA. Tabulæ, literæ, quibus rei memoria conſervatur. *Arch.* 4. *literarum* memoriam *flagitare*. Cluent. 23. *extat* memoria; *ſunt tabulæ publicæ*.

*Memoria publica*, eſt rerum publicarum, publice, in ſenatu, concione, bello geſtarum. *Or.* II. 12. *Leg.* III. 20.

Or. I. 2. *At mihi repetenda eſt veteris cujuſdam* memoriæ, *non ſane ſatis explicata recordatio*. In quo videtur *memoria* dici, pro re olim geſta, diſputatione vetere. *Brut.* 69. in memoriam *notam & prope æqualem* incurro.

Phil. II. 43. *Et tu in Cæſaris* memoria *diligens*:

*gens* : intellige conſervanda, honoranda.

MENSA. *Ad Fam.* XVI. 21. menſa *ſecunda*, bellaria, poma, pira, &c. *Fin.* II. 28. *Syracuſanæ* menſæ. *Tuſc.* V. 35. menſæ *Italicæ*, *Syracuſiæ*, hoc eſt, lautæ, deliciis refertæ. *Ad Att.* V. 1. *diſcubuimus omnes præter illam ; cui tamen Quintus* de menſa *miſit*.

Eſt & menſariorum, de quibus mox. *Flacc.* 19. *ſi prætor dedit, a quæſtore numeravit ; quæſtor a* menſa publica : menſa *aut ex vectigali, aut ex tributo*. Piſon. 36. *ſtipendium militibus per omnes annos a civitatibus*, menſis *palam propoſitis, numeratum*. Vide *Menſarius*.

Denique Deorum in templis. *Har. R.* 27. *Nat. Deor.* III. 34.

MENSARIUS. *Flacc.* 19. Eſt magiſtratus civitatis Græcæ Aſiaticæ : *quatuor* menſarii, *qui apud illos a populo creantur*. Videntur curam habuiſſe pecuniæ publicæ hanc, ut per eos quæſtor publicam pecuniam acciperet, &, quibus opus eſſet & ſenatus vellet, ſolveret. Nam paulo poſt ait : *ſi prætor* ( ſcilicet Temenitarum ) *dedit, a quæſtore numeravit : quæſtor a menſa publica : menſa : aut ex vectigali aut ex tributo*.

MICARE. Dicitur de motu celeri & tremulo venarum. *Nat. D.* II. 9. micare *non deſinunt arteriæ & venæ*. Div. I. 47. *anguis ſemianimis & varia graviter cervice* micans.

Par impar ludere. *Off.* III. 19. *dignus quicum in tenebris* mices. Confer. *Div.* II. 41.

MONITOR. In judiciis eſt patroni, cui ſubjicit, ſi quid prætermittit, aut non recordatur. *In Cæcil.* 16. *video non te, ſed hunc librum, quem* monitor *tuus tenet, eſſe reſponſurum*.

Nomenclator. *Mur.* 36. *cives per* monitorem *appellare*.

MONUMEMTUM. Dicitur templum, ſtatua, via, & quodcunque publicum ædificium, quo alicujus memoria conſervatur, quia aut in honorem ejus, aut ab eo extructum eſt. *Agr.* I. 4. *pecunia non coſumpta in* monumento, ſcilicet, ab imperatore, qui propterea manubias accipit. *Verr.* I. 4. monumenta *Africani*, ſunt ſtatuæ, quas Siculis, Carthagine capta, reddiderat, quibuſque ideo nomen ejus erat inſcriptum. *Planc.* 32. *Div.* I. 28. monumentum *Marii*, eſt templum ab eo extructum. *Mil.* 7. *in majorum ſuorum* monumentis : de via Appia. *Dom.* 20. *Clodium meam domum* monumentum *feciſſe* : quia in ea ſignum Libertatis dedicarat. *Ad Fam.* I. 9. monumentum *ſuum* Cicero vocat ædes ſuas, publico ſumptu inſtauratas. Hinc deinde ſimpliciter & ſine relatione ad aliquem hominem, cujus monumentum ſit, pro templo ponitur. *Arch.* 11. *templorum ac* monumentorum *aditus*. Verr. I. 49. & 50 *in celeberrimo* monumento ... monumentum *ſartum*, &c.

Sepulcrum. *Roſc. Am.* 50.

Literæ publicæ *Dom.* 28. *ſcribæ nobiſcum in rationibus publicis* monumentiſque *verſantur*.

Sic dicuntur etiam *Commentarii Pontificum*. Dom. 55.

MUNUS. Hoc verbo complectuntur omne genus ludorum & ſpectaculorum, quæ magiſtratus aliique populo præbent. Hinc *ad Fam.* II. 3. *declarare* munera, *hoc eſt*, polliceri populo. *Syll.* 19. *præbere* munus. Confer *Act. I. Verr.* 12. *Dom.* 43. *ad Fam.* XI. 16.

Inde eleganter *mundus* vocatur *munus Dei* Tuſc. I. 29. Nat. D. II. 35.

## N.

NATIO. Genus hominum. *Mur.* 33. *tota* natio *candidatorum*. Sext. 44. *quæſiſti, quæ eſſet noſtra* natio *optimatium*. Ibid 45. *eſto igitur, ut hi ſint ;* ( *quam tu* nationem *appellaſti* ) *qui integri ſunt & ſani*, &c. Ibid. 63. *habes igitur, quod ex me quæſiſti, qui eſſent optimates. Non eſt* natio, *ut dixiſti*. Ex duobus poſtremis locis patet, *nationis* verbum in contemptum dici.

De populo, ad quem quis originem refert : *Ad Fam.* XV. 20. *Oratorem Sabino tuo commendavi*. Natio *me hominis impulit, ut ei recte putarem*. Quia eſt ex Sabinis, quod genus Italorum ſimplex, honeſtum eſt.

NATURA. Indoles hominis. *Cæl.* 6. natura *varia multiplexque*.

Res ipſa, cujus eſt certa natura. Sic *Verr.* I. 15. *non poteſt* ea natura, *quæ tantum facinus commiſeris, hoc uno ſcelere eſſe contenta* : pro, homo ea natura. *Nat. D.* II. 57. *his* naturis *relatus ſonus amplificatur* : pro, rebus hac natura.

Eſt etiam in periphraſi. *Nat. D.* II. 54. natura *alvi*, pro, *alvus*.

Pudenda muliebria. *Div.* II. 70. *matrona viſa eſt obſignatam habere* naturam. Confer *Nat. D.* III. 22.

Ordo rerum naturalis. *Sext.* 21. *vita reſervata* naturæ.

*Ad Fam.* VI. 10. *Cæſar mihi quotidie delabi ad æquitatem & ad rerum* naturam *videtur*, hoc eſt, videtur ſenſim oblviſci injurias, & mitior fieri, ut fert natura humana. *Leg.* I. 12. *jus in* natura *poſitum eſſe*.

NECESSARIUS. Naturalis. *Milon.* 7. *mors* neceſſaria. *Vide* Neceſſitas.

Conjunctus cum aliquo, ſanguine, affinitate, collegio, aut quacunque alia ratione. *Vide* Neceſſitudo. Sic *in Cæcil.* 2. Siculi dicuntur Ciceronis *neceſſarii*, quia apud eos quæſtor fuerat, & cum iis amice vixerat. *Ad Brut. ep.* 6. *noli pati a tuis* neceſſariis *injuriam fieri* neceſſario *meo*. *Neceſſarii* ſunt Dyrrhachini, qui erant in fide Bruti.

*Ad Fam.* VI. 12. neceſſariæ *rogationes* ſunt, quæ propter neceſſitudinem aliquam, pro neceſſario fiunt.

Phil. VII. 2. *tempus* neceſſarium, *id eſt*, quo neceſſario ſubveniendum reip.

NECESSITAS. De natura, ordine naturæ, quod, quæ natura fiunt, neceſſario fiunt. *Catil.* IV. 4. *mors aut* neceſſitas naturæ, *aut laborum miſeriarumque finis eſt*. Sext. 21. *ut vita, quæ* neceſſitati *deberetur, patriæ potius donata quam* naturæ *ſervata videretur*. Inv. I. 34., *quædam* neceſſitate *ſemper eodem modo fiunt*. Or. 50. neceſſitate *ipſa*, pro ſua ſponte, natura ſua.

Vis



Vis divina, fatum. *Ligar.* 6. *humana conſilia* neceſſitate *divina eſſe ſuperata*.

Conjunctio ſanguinis, amoris, officii. *Roſc. A.* 24. *magnam* neceſſitatem *poſſidet paternus, maternuſque ſanguis*. Syll. 1. *ſi noſtram* neceſſitatem, *familiaritatemque violaſſet*.

De rebus ad vitam conſervandam neceſſariis. *Verr.* V. 14. *ipſi naturæ ac* neceſſitati *negare*. Off. I. 35. neceſſitati *quam occultiſſime parent*, de excretione urinæ, fæcium, &c.

Acad. IV. 36. *perſuadendi* neceſſitas.

NECESSITUDO. Natura, opponitur caſui. *Har. R.* 9. *ordo rerum ac* neceſſitudo.

Omnis conjunctio, ſanguinis, affinitatis, conjugii, collegii, amicitiæ, &c. quæ a cauſa aliqua oritur, quæ nobis neceſſitatem amoris, benevolentiæque affert. *Ad Q. Fr.* I. 1. *ſumma* neceſſitudine *nos attingunt publicani*, ( confer *Manil.* 2. ) ſcilicet, quia Cicerones erant equeſtri genere, equites autem publicani. *In Cæcil.* 2. neceſſitudo *cum Siculis*, apud quos quæſtor fuerat, inter quos hoſpites multos & amicos habebat. *Ibid.* 18. neceſſitudo *inter prætorem & quæſtorem*. Planc. 11. neceſſitudo *contubernii*. Rabir. Perd. 1. *cum omnibus civibus mihi* neceſſitudinis *cauſam eſſe duxi*. Ad Fam. I. 3. *propter noſtram* neceſſitudinem ( ſcilicet inter Ciceronem & Lentulum, qui eum reſtituerat in patriam ) *vehementer confidit his literis*, &c. Ib. IX. 13. *municipio Caleno, quocum mihi magna* neceſſitudo *eſt*. Quia ejus erat patronus.

Cauſa conjunctionis, amoris. *Ad Fam.* XIII. 12. *cum eo mihi omnes* neceſſitudines *ſunt*.

NEXUS, vel NEXUM. Eſt ritus vendendi per æs & libram, præſentibus quinque teſtibus, quo venditor obligatur ad evictionem præſtandam. *Muren.* 2. *in iis rebus repetundis quæ mancipi ſunt, is judicii periculum* ( evictionem ) *præſtare debet, qui ſe* nexu *obligavit*. Top. 5. *traditio* nexu. *Parad.* 5. *mancipia, quæ ſunt dominorum facta* nexu. *Ad Fam.* VII. 30. *cujus proprium te eſſe ſcribis mancipio &* nexu. Diſtinguitur tamen *a mancipio*, Har. R. 7. Vide *Mancipium*.

NOBILIS. Eſt proprie qui facile noſcitur ( *noſcibilis* ) hoc eſt, agnoſcitur, qui ſit, qualis eſt Romæ, qui ortus eſt ex familia, ſive patricia, ſive plebeja, in qua magiſtratus fuere ; nam ejus nomine audito, notum eſſe nomen apparet, & unde ipſe ſit conſtat. Et quia magiſtratus habent jus imaginis ſuæ ad poſteritatem prodendæ, ( *Verr.* V. 14. ) propterea nobilis etiam ſic definitur, ut ſit is, qui imagines majorum habet. *Or.* II. 48. *populo Romano dari ſine* nobilium *diſſenſione potuiſſe*.

NOMEN. Verbum. *Tuſc.* III. 34. *omnis caſus in quo calamitatis* nomen *poni ſolet*. Off. I. 12. *receſſit* nomen *a peregrino, & proprie in eo, qui arma contra ferret, remanſit*.

Claritas, nobilitas ſcilicet, quia nobilium nomen notum eſt. *Planc.* 7. nominibus *ducuntur*. Ad Fam. III. 7. *iſta veſtra* nomina *nunquam ſum admiratus*.

Cluent. 32. *Res* ſuo nomine *in judicium nunquam eſt vocata*, hoc eſt, nullius quæſtionis proprium crimen fuit, ut ait ibid. 35.

Species, prætextus, titulus. *Ad Fam.* I. 4. nomen *fictæ religionis*. Cæcin. 25. *honeſto ac probabili* nomine.

*Nomen* de reo etiam dicitur. *Inv.* II. 19. *cum venefici* nomen *eſſet* delatum, & ... *extra ordinem eſſet* acceptum.

Quia in tabulis acceptorum nomina hominum, quibus aut debemus, aut qui nobis debent, item rerum, pro quibus, & pecuniæ perſcribimus : propterea nomen de re pecuniaria, & quidem variis modis dicitur. Nomen ergo 1. eſt *debitum*, & quidem active & paſſive. *Top.* 3. *quæ in* nominibus *ſunt*, opponuntur pecuniæ paratæ. *Planc.* 28. nomen, *quod urget, diſſolvere*. Quint. 4. *quibus* nominibus *pecuniam curari oportere*. Ad Att. XIII. 29. nomen *explicat*. XVI. 6. nomen *expedi* 2. Debitor. *Ad Att.* V. 21. *nam aut bono* nomine *centeſimis contentus erat, aut non bono, quaternas centeſimas ſperabat*. 3. Capita in tabulis ſcripta. *Verr.* I. 36. *in Codicis extrema cera* nomen *infimum in flagitioſa litura fecit*. Quint. 11. nominibus *certis grandem pecuniam debet*. Ad Fam. V. 20. nomen *erat ſeſtertiis* XXX. Roſc. C. 1. *non refert parva* nomina in *codices*.

Teneant etiam tirones hanc formulam : *ad Fam.* VII. 23. *accepi Aviani literas, in quibus hoc erat liberaliſſimum*, nomina *ſe* facturum, *qua ego vellem die*. In quo apparet *nomina facere* eſſe creditoris, cum non accipit pecuniam paratam, ſed ſummam in tabulis ſcribit, certa die exigendam. Sed de debitore, qui non parata pecunia emit, videtur eſſe *Offic.* III. 14. *emit homo cupidus & locuples tanti, quanti Pythius voluit, & emit inſtructos* : nomina facit, *negotium conficit*.

NOMENCLATOR. Servus qui domino, inprimis candidato, nomina obviorum ſuggerit, ut nomine ſuo quemque appellare poſſit, quod erat blandius ; unde aliquando lege ambitus prohibitum, ut eſt apud Livium. *Ad Att.* IV. 1. *Muren.* 36.

NOTIO. Significatio verbi. *Tuſc.* V. 10. *nulla alia huic verbo ſubjecta* notio *eſt*.

Πρόληψις notitia inſita. *Top.* 7. notio *eſt impreſſa & inſignita rei conformatio*. *Nat. D.* I. 12. *hæc omnia cum Deorum* notione *comprehendimus*. Ib. 14. *Deum in animi* notione *tanquam in veſtigio reponere*. Ib. 18. notiones *primæ*. Tuſc. IV. 24. *definitio aperit* notionem *noſtram, quam habemus omnes de fortitudine, tectam atque involutam*. Ibid. *definitiones declarant* notiones *communes, alta magis alia*. Acad. IV. 11.

Sed *notio* eſt etiam de iis rerum in animo formis, quæ non inſitæ ſunt, ſed opera mentis acquiſitæ, de quibus eſt locus inſignis *Fin.* III. 10.

Hinc dicitur etiam de cognitione rerum, & judicio de rebus. *Nat. D.* I. 11. *fugere intelligentiæ noſtræ vim &* notionem. *Tuſc.* V. 39. *ſine varietate colorum licebat vivere beate : ſine* notione *rerum non licebat*. Acad. IV. 41. *veniamus nunc ad bonorum & malorum* notionem.

Cognitio de rebus, quæ eſt magiſtratuum,

Pon-

Pontificum, &c. *Dom.* 13. *quæ omnis* notio *Pontificum eſſe debuit*. Agr. II. 21. notio *populi Rom.* Sext. 25. *ut cenſoria* notio *de republica tolleretur*. Piſ. 5. *judicium* notionemque *cenſoriam quadringentos annos tenuimus*. Ad Att. XI. 20. notionem *ejus differri*.

De nota cenſoria. *Off.* III. 31. notio *cenſorum*. Sext. 25. notiones *cenſoriæ*.

NOVUS. *Res novæ* ſignificant aliquam inſignem perturbationem & commutationem ſtatus reipublicæ, ratione magiſtratuum, judiciorum, legum, veteribus vel ſublatis, vel novis & iis quidem pernicioſis latis. *Verr.* I. 7. *Catil.* I. 1. *ad Fam.* XI. 21.

*Novi homines*. Agr. II. 2. *&c.* qui primi e familia ſua ad magiſtratus pervenere.

*Or.* II. 66. *ſub* novis, intellige tabernis; fuit pars fori Romani, cujus paſſim mentio apud veteres.

NUMERUS. *Ad Q. Fr.* II. 13. ad numerum *judices habere*, id eſt, juſtum eorum numerum.

Rhythmus. *Or.* 64. *pæon, quod plures habeat ſyllabas quam tres*, numerus *a quibuſdam*, non pes habetur. *Or.* III. 44. *numerus adſtrictus*, qui proxime ad poeticum accedit: *ſolutus*, qui longius recedit.

Certus & concinnus corporis geſtus & motus in hiſtrionibus, ſaltatoribus, palæſtritis, &c. quia ſcilicet, ut illi numeri poetici, certis numeris exprimuntur, cum intervallis temporum contineantur. *Parad.* 3. *hiſtrio ſi paulo ſe moveat extra* numerum, *exſibilatur*. Leg. I. 4. numeri *in cantu*.

Hinc duci putant illas formulas, *omnibus numeris abſolutum eſſe, omnes numeros habere*. Sed manifeſtum eſt, numeros dici interdum pro partibus & earum numero, qui requiritur, ut perfecta res ſit. *Fin.* IV. 20. *pauciores quaſi numeros officii præterirent*. Div. I. 13. *omnes habet in ſe* numeros *veritatis*. Verr. II. 69. *quod genus hominum*, quem numerum, *quem ordinem proferre poſſis*. Hoc interpretatur ipſe ibid. *Ab univerſa provincia, generatimque a ſingulis ejus partibus, &c.*

Locus. *In Cæcil.* 19. *parentis* numero *prætor eſſe quæſtori debet*.

O.

OBLIGARE. Proprie, vincire, devincire, ut *Tuſc.* II. 16. de vulnere: *a medico* obligari. Sed metaphorice *obligari* dicuntur in univerſum omnes, quibus quacunque cauſa & quocunque modo neceſſitas eſt impoſita alicujus rei faciendæ, præſtandæ, ferendæ, patiendæ. Cauſa & ratio, quæ neceſſitatem imponit, qua tanquam obligamur & alligamur, dicitur hinc vinculum. Hinc

1 *Obligari ſcelere* dicuntur, *Dom.* 8. & *legum pœnis obligari*, Fin. I. 14. qui in neceſſitatem incidunt pœnæ ferendæ; qui in pœnas incidunt ſceleribus aut ſuis aut alienis.

2 *Obligantur*, qui jurejurando ſibi neceſſitatem alicujus rei faciendæ imponunt. *Off.* I. 11. *Verr.* II. 72. *Balb.* 15.

3. Item promiſſis, fœdere. *Balb. ibid. populus ſe* obligavit *fœdere*. Phil. V. 18. *audeo* obligare *fidem meam*.

4. Item ſpondendo pro aliquo, cavendo prædiis, quæ & ipſa *obligari* dicuntur. *Agr.* III. 2. *ad Fam.* V. 20. *ad Brut. ep.* 18. *Cæcin.* 3.

5. Porro qui mancipio & nexu ſibi impoſuerunt neceſſitatem periculi judiciorum (evictionis) præſtandi. *Muren.* 2. *Topic.* 10.

6. Qui beneficiis acceptis neceſſe habent aliis gratiam referre, occaſione data, unde & in ære alterius eſſe, ei debere dicuntur. *Ad Fam.* VIII. 12. VI. 11. X. 8. XI. 16. *&c.*

7. Res, quæ Deo alicui conſecratæ ſunt. *Dom.* 40. unde contra quæ profana e ſacris fiunt, *liberari* dicuntur.

8. Eſt etiam pro *impediri*. Act. 1. Verr. 9. *quod eos intelligere videbam, me hoc judicio diſtrictum &* obligatum *futurum*.

OBNUNCIARE. Auſpicium malum, diras, comitia habenti nunciare, ut comitia dirimantur; in quo utebantur hac formula *Alio die*. Red. II. 5. *legem tribunus pl. tulit, ne auſpiciis obtemperaretur, ne* obnunciare *comitiis aut concilio liceret*. Confer *ad Att.* IV. 3. *Phil.* II. 33. *conſul conſuli* obnunciaſti: ubi etiam illa formula *alio die* occurrit. Sed non ſolum comitiis obnunciatur, ſed etiam ſingulis hominibus. *Div.* I. 16. *Atejus Craſſo* obnunciavit (nempe in provinciam ituro.)

OBROGARE. Legem ferre, quæ adverſetur alteri legi, ut ea perlata, altera tollatur. *Phil.* I. 9. *quid quod* obrogatur *legibus Cæſaris*. Ad Att. III. 23.

OBSERVARE. Curioſe ſpectare, aucupari, captare, etiam in deteriorem partem & inſidiarum cauſa. *ad Fam.* XI. 16. *ut tempus* obſervaret *epiſtolæ reddendæ*. Confer *Roſc. Am.* 8. *Verr.* III. 1. *vitavi* obſervari *pluribus oculis*.

*Obſervare* dicitur de officiis ſalutandi, deducendi, &c. & hinc in genere pro colere. *Muren.* 34. *ſi interdum ad forum deducimur ... diligenter* obſervari *videmur*, Ad Att. XIII. 49. *ſi* obſervare *eſt ſervire*. Inprimis autem eleganter dicitur de iis qui candidatos ſectantur, petitionem eorum ſua ſuffragatione juvant. *Phil.* II. 20. obſervatus *a me in petitione quæſturæ*. Hinc etiam *ad Fam.* VII. 27. *ego te in conſulatu* obſervaram.

*Ad Fam.* XIII. 27. obſervare *commendationes alicujus*, hoc eſt, complecti eum, qui commendatus eſt.

OBTESTATIO. *Balb.* 14. *Sanctiones ſacrandæ ſunt, aut genere ipſo, aut* obteſtatione *& conſecratione* legis, *aut pœna, &c.* hoc eſt, populo per legislatorem ad jusjurandum adigendo, quo juret, obteſtans, *hoc eſt*, teſtes faciens Deos, ſe velle legem ſervare. Unde leges *ſacratæ*.

Dom. 48. *Quid ergo tua illa tum* obteſtatio tibicinis? Fuit pars cerimoniæ in dedicationibus, quæ fiebat his fortaſſe verbis, ſimilibuſve, *Ades mihi*, &c. Vide *Domo*, 52. & *Divin.* II. 34.

OFFENSIO. Calamitas, damnum. *Manil.* 9. & 10. offenſio; & offenſiones *belli*.

Mor-



Morbus. *Tuſc.* IV. 14. offenſiones *corporum*. Ad Fam. XVI. 10.

Offenſio *ægrotationi contraria*, quid ſit. *Tuſc.* IV. 11.

Repulſa. *Cluen.* 25. *quod ædilitatem petere cum hominibus nobiliſſimis, &* offenſionem *timere dicebat*.

Cluent. 50. *Judiciorum* offenſiones, dicuntur corruptiones judicum, quibus judicia in odium populi veniunt.

OPPRESSUS. In ſermone, eſt obſcurus, non ſatis clare pronunciatus, ut intelligi poſſit. *Offic.* I. 37. *literæ neque* oppreſſæ, *neque expreſſæ, ne aut putidum ſit, aut obſcurum*.

Non liber. *Piſon.* 13. *mens* oppreſſa *præmio*.

Impeditus. *Ibid.* 17. *conſcientia ſcelerum* oppreſſus, *nihil auſus eſt ad ſenatum ſcribere*.

Coercitus, frenatus. *Flacc.* 16. *audacia comprehenſa &* oppreſſa *tenetur*.

Furto ablatus & retentus. *Verr.* II. 19. *quicquid cælati argenti, Corinthiorum vaſorum ... hoc nemo dubitabat, quin ex illa domo capta &* oppreſſa, *&c.*

Subito ruptus. *Amic.* 21. *ut amicitia potius extincta quam* oppreſſa *videretur*, nempe ſicut incendium ruina.

OPTIMATES. Qui proprie ſint, nempe ii, qui optimas partes in republica ſequuntur, opponunturque popularibus, de quibus mox, docetur *Sex.* 45. 66. qui ſunt loci claſſici. Et quoniam hi fere ſunt homines ſuperiorum ordinum, pauci de plebe, niſi forte locupletiores, propterea optimates etiam interdum opponuntur plebi. *Tuſc.* I. 45.

ORDO. Omne hominum in civitate genus. Sic de libertinis dicitur. *Verr.* I. 47. de ſcribis *Ibid.* III. 79. de publicanis. *Ad Fam.* XIII. 9. *&c.* in militia *ordines* ſunt triceſimæ *partes* legionum in quarum quaque duæ centuriæ a decimo haſtato uſque ad primum pilum. Unde *Piſ.* 36. ordines *aſſignare*, & Phil. I. 8. ordines *duxerunt*.

Subſellia theatri. *Phil.* II. 18. *ſediſti in* XIV. ordinibus.

Roſc. A. 48. *recte atque* ordine *facere*; eſt formula antiqua, pro: ex legibus, laudabiliter, ſapienter.

*Extra ordinem*, eſt aliter ac legibus eſt conſtitutum, contra leges. *Vide* Extraordinarius. *Cluent.* 31. *qui ſe ab reo pecuniam, cum judex eſſet, clam atque* extra ordinem *accepiſſe confeſſus eſſet*. Ad Fam. VI. 5. *ſpes quam* extra ordinem *habemus*, eſt major quam de cæteris.

OVARE. Minus eſt quam triumphare; ingredi urbem, ob victoriam non adeo magnam, equo. *Ad Brut. ep.* 15. *ut* ovanti *introire Cæſari liceret, decrevi*.

P.

PACTIO. Inter publicanos & provinciales, qui agros decumanos habebant, pactiones fiebant. *Ad Fam.* XIII. 65. *ejus ſumma exiſtimatio agitur in eo, ut* pactiones *cum reliquis civitatibus conficiat*. Confer *ad Att.* V. 13. & *ad Fr.* I. 1. 12. Ejus rei ratio intelligi poteſt e Verrina tertia, præſertim c. 14.

Sæpe pactionis mentio in corruptionibus pecuniariis, ut *Verr.* I. 7. *Sciebam in rejiciendis judicibus nonnullos* pactionis *ſuſpicionem non vitaſſe*. Piſon. 36. pactiones *reorum*.

PARENTARE. Eſt inferias agere in memoriam mortui. *Phil.* I. 6. *cujus ſepulcrum nuſquam extet, ubi* parentetur. *Leg.* II. 21. *hoſtia maxima* parentare.

Ulciſci mortem alicujus. *Flacc.* 38. parentemus *Cethego*.

PARS. In ſcena eſt perſona, quam quis ſuſcepit agendam. *In Cæcil.* 15. *actores ſecundarum & tertiarum* partium; unde deinde ad alia transfertur. *Flacc.* 27. *ſervus primarum* partium.

Genus, ſpecies. *Or.* I. 6. pars *dicendi*. Topic. 7. *formas qui idem putat eſſe, quod* partes, *confundit artem, &c.*

PATRICIUS. Qui e familia aliqua eorum ſenatorum ortus eſt, quos Romulus & Tarquinius Priſcus legerunt; & qui ab illis quidem orti ſunt, *majorum gentium*, qui ab his, *minorum gentium* dicuntur. Patriciis opponuntur plebeji, *ad Fam.* IX. 21.

Ad Brut. *ep.* 5. *dum unus erit* patricius *magiſtratus, auſpicia ad patres redire non poſſunt*. *Patricii magiſtratus* ſunt Conſulatus, Prætura, ædilitas, &c. quia olim patriciis proprii fuere, & a patriciis capi potuere. *Leg.* II. 3. *Fibrenus præcipitat in Lirim, & tanquam in* patriciam *familiam venerit, amittit nomen obſcurius*, tunc *Liris* dicitur.

PATRIUS. A majoribus relictus & traditus, antiquus. *Or.* I. 18. *mos* patrius *Academiæ*. Mur. 41. *ſacra patria*. Sic etiam *Verr.* I. 3. *Dii* patrii ſunt, quorum cultus a majoribus ad nos venit.

Paternus. *Roſc. Am.* 16. *animus* patrius *in liberos*.

PECUARIUS. Qui gregibus pecorum alendis quæſtum quærit, ſive ex privatis, ſive e publicis pro certo vectigali conductis paſcuis. *Dejot.* 9. rex Dejotarus *pecuarius* dicitur.

PECULATOR. Qui peculatus reus eſt. *Offic.* III. 18. Eſt autem *peculatus*, Roſc. A. 29. crimen, quo tenetur, qui ærarium defraudavit.

PEDARIUS. De ſenatoribus, qui non dicendæ ſententiæ jus habent, ſed tantum aſſentiuntur diſceſſione, quia nondum magiſtratu aliquo functi ſunt. *Ad Att.* I. 16. 17. Vide *Gell.* III. 18. nam is eſt locus claſſicus.

PERCUSSIO. Eſt in muſicis & deinde in poeticis & numeris oratoriis, qui & *ictus* dicitur; quia tibicen pede ferit terram. *Or.* III. 47. *ſed ſunt inſignes eorum numerorum* percuſſiones. *Ibid.* 48. percuſſio *intervallorum* Or. 58. *non ſunt in oratione tanquam tibicini* percuſſionum *modi*.

PERDUELLIO. Eſt proprie parricidium, *hoc eſt*, cædes hominis liberi, quam quis ſciens fecit. Verum *perduellionis crimen* in ſpecie illud dictum eſt, quo quis libertatem populi Romani violavit, tanquam affectato regno, tribuno plebis

bis pulſato aut interfecto; cive Romano indicta cauſa virgis cæſo, aut percuſſo, aut alio ſupplicio ſervili affecto.

PERICULUM. Judicium, quod periculum capitis affert. Sic *Roſc. A.* 30. periculum *creare*, pro accuſare. *Arch.* 6. pericula *amicorum*. Manil. 1. pericula *privatorum*.

Fam. XIII. 68. *Quid ſentiam, non ſæpe ſcribam, propter* periculum *ejuſmodi* literarum.

Specimen, quod experiundarum virium cauſa fit, *Leg.* I. 1. *faciunt imperite, qui in iſto* periculo *non ut a poeta, ſed ut a teſte veritatem exigant.*

Verr. III. 70. *Scribis tabulæ publicæ*, periculaque magiſtratuum *committuntur. Pericula*, ſcilicet, ſunt tabellæ, libelli, in quibus aliquid ſcribitur.

PERPETUUS. *Act.* I. *Verr.* 11. perpetua *oratio*, id eſt, continua, & opponitur ei, quæ eſt in interrogando, aut reſpondendo.

Ad Fam. V. 12. *hiſtoriæ* perpetuæ, ſunt, aut, quas nos univerſales appellamus, aut certe regni, aut reipublicæ totius, opponunturque hiſtoriis ſingulorum hominum.

*Or.* 36. Perpetua *quæſtio*, eſt univerſalis, cum de genere univerſo quæritur.

Ad Att. V. 21. *ut centeſimæ* perpetuo *fœnore ducerentur*, hoc eſt, ut centeſimæ uſuræ in ſingulos annos ducerentur in ſupputatione, non autem etiam centeſimarum uſuræ.

PERSCRIBERE. Solvere, non ex arca, ſed de menſa argentarii, per attributionem, per aſſignationem. *Ad Att.* IX. 12. *viri boni uſuras* perſcribunt? *Flacc.* 19. *pecuniam ſe* perſcripſiſſe *dicunt.*

In codicem aliquid referre. *Roſc. C.* 1. *æque tabulæ condemnantur ejus, qui verum non retulit, & ejus qui falſum* perſcribit. *Ibid. Falſum* perſcriberet *nomen.*

*SCtum* perſcribitur (*Catil.* III. 6.) quod nondum æri inciſum eſt.

PERSEQUI. Sequi. *Phil.* III. 3. *quarta legio Cæſaris auctoritatem & exercitum* perſecuta *eſt.* Ad Fam. IX. 3. *ego neglecta barbarorum inſcitia te* perſequar.

Per ſingulas partes enarrare, accurate & plene narrare, explicare. *Ad Fam.* V. 13. *nullum membrum reipublicæ reperies, quod non fractum debilitatumve ſit: quæ* perſequerer.

Exequi. *Ad Att.* IV. 1. *mandatorum mihi libellum dedit ... omnia ſum diligentiſſime* perſecutus.

Ulciſci. *Acad.* IV. 1. *inimicitias paternas* perſequi.

Eſt etiam verbum juris, quod ſignificat actionem in aliquem, & eſt petitoris, imprimiſque in re pecuniaria dicitur: exigere pecuniam. *Rabir. Poſt.* 4. perſequi *ab aliquo pecuniam*. Leg. III. 8. *ſyngraphas ſuas* perſequi. *Verr.* III. 13. *bona ſua repetere ac* perſequi *lite ac judicio.*

Hinc ductum illud genus arbitror, cum *perſequi pœnas* dicitur, qui ſumit pœnas ab aliquo, ulciſcendi cauſa. *Ad Fam.* I. 9. *pœnas a ſeditioſo* perſequi. *Cæcin.* 11. *pœnas alicujus* perſequi.

PERSONA. Πρόσωπον, facies ficta hiſtrionis. *Or.* II. 46. *cum ex* perſona *mihi ardere oculi hiſtrionis viderentur.*

Nec ſolum de hominibus, ſed etiam aliis rebus, & in his formulis abſtractum pro concreto ponitur. *Muren.* 3. perſonam *gravitatis ſeveritatiſque non appetivi*. Ad Att. XV. 1. *fœda eſt* perſona *ipſius ſenectutis*. Verr. II. 17. perſona *calumniæ imponatur.*

Perſona per periphraſin quandam dicitur de hominibus, ſed cum reſpectu ad eorum conditionem, officium, mores, &c. *Cluent.* 29. *hujus* Staleni perſona *ab nulla turpi ſuſpicione abhorrebat.*

Arch. 2. *in* ejuſmodi perſona, *quæ minime in judiciis periculiſque tractata eſt.*

PERTINERE. Conſtructio quadruplex eſt apud Ciceronem, cum præpoſitionibus *ad*, *in*, *per*, & cum ablativo.

Utile eſſe, valere. *Ad Att.* III. 6. *ad multa* pertinuit. *Off.* II. 10. *quæ ad gloriam* pertinent. *Quint.* 29. *ad rem* pertinent *teſtimonia.*

Meare, attingere. *Nat. D.* I. 14. *ratio* pertinens *per omnium rerum naturam*. Ibid. II. 55. *implicatio nervorum toto corpore* pertinens. *Ibid. venæ* in *omnes corporis partes* pertinentes. *Ibid.* 54. *eaque ad pulmones uſque* pertinet.

Sentiri, vim habere in aliquem. *Div.* II. 44. *aliquid vim cæleſtem ad eos, qui in terra gignuntur*, pertinere. *Tuſc.* I. 39. *nihil* pertinuit *ad nos ante ortum*. Ibid. 45. *nihil ad mortuos* pertinet. *Arch.* 12. pertinebit *ad aliquam animi mei partem*. Confer. *Læl.* 4.

Dicitur etiam *ad aliquem pertinere* id, cujus quis auctor eſt. *Roſc. A.* 36. *ad quem maleficium* pertineret. *Verr.* I. 17. pertinet *res ad ipſum.*

PES. Quomodo a numero differat. *Vide* Orat. 64.

Pars terræ exigua. *Ad Att.* VII. 22. pedem *in Italia video nullum eſſe, qui non in illius poteſtate ſit.*

In navibus *pedes* ſunt funes, quibus interiores veli anguli verſus puppim trahuntur. *Or.* III. 40. pes *in navi*. Ad Att. XVI. 6. pedibus *æquis.*

Cluent. 13. *conſtituitur* ante pedes, *&c.* dicitur de eo, qui coram tribunali aut ſubſelliis judicum conſtituitur.

Sæpe etiam ſervi dicuntur eſſe *ad pedes, circum pedes*, &c. *Verr.* I. 36. *homines circum* pedes *habebat*. Dejot. 1. *ſervum a legatorum* pedibus *abduxit.*

Red. II. 4. *ne* pedibus *iret*. De ſenatoribus pedariis, de quibus ſupra.

*Pedibus trahi*, eſt peſſime atque iniquiſſime tractari. *Ad Fam.* VII. 31. *de judiciis non laboro: trahantur per me* pedibus *omnes* rei. *Ad Att.* IV. 16. *per me iſta* pedibus trahantur.

*Vatin.* 5. pedibus *iter facere*, eſt terra proficiſci, & opponitur τῷ navigare.

PETERE. De ictibus gladiatorum & athletarum. *Quint.* 7. *caput* petere. *Or.* 68. *ut athletas, nec multo ſecus gladiatores videmus nihil nec vitando facere caute, nec* petendo *vehementer*, &c.



Ad ſe ſuaſque partes allicere. *Ad Fam.* XIV. 1. *qui ab his me amari putabam, qui invidebant, eos non ſequebar, qui* petebant.

Eſt etiam actoris in cauſa privata. *Flacc.* 34. *poſſeſſionem* petere. Intellige a prætore, qui *dat poſſeſſionem*. Roſc. C. 12. *amplius a ſe neminem* petiturum. Confer *Verr.* III. 11. *&c.* Itaque is, in quem actio ſuſcipitur, *unde petitur*, dici ſolet. *de Or.* I. 37. *ad Fam.* VII. 11.

PETITIO. Ictus. *Catil.* I. 6. petitiones *corpore effugere*. Unde ad oratores traducitur & eorum artificia, quibus adverſariis nocere ſtudent. *Or.* III. 54. *orationis ipſius, tanquam armorum, eſt vel ad uſum comminatio & quaſi* petitio. *In Cæcil.* 14. *novi omnes hominis* petitiones, *rationeſque dicendi.*

Actio in aliquem, item poſtulatio a prætore, ut jus noſtrum nobis concedat, tanquam hereditatis poſſeſſionem &c. *Brut.* 5. *cujus* petitio *ſit*. Roſc. C. 18. petitionem *integram reliquit*. Inv. II. 8. *petitioni* opponitur *recuſatio*, quæ eſt ejus, unde petitur.

PETITOR. Actor, qui litem intendit, in cauſa privata: cui opponitur is, unde petitur. *Orat.* I. 37. *Quint.* 13. *Roſc. Com.* 14. *Verr.* III. 11.

PIGNUS. Phil. I. 5. *cogi* pignoribus. *Or.* III. 1. Pignoribus *ablatis coercere*. Fuit genus coercitionis, quo utebantur magiſtratus, imprimis Conſules, in ſenatores, qui parere, tanquam vocati in ſenatum nollent.

Eleganter *pignora* dicuntur omnia ea, quæ fiduciam faciunt, qualem aliquis ſe præſtiturus ſit, *Ad Att.* VIII. 9. *minus multa illi dederant reipublicæ* pignora. *Phil.* XIII. 4. *magnis & multis* pignoribus *M. Lepidum reſp. illigatum tenet*. Ea pignora deinde enarrantur, & ſunt partim commoda multa, quæ habet in republica & a republica, propter quæ ei adverſari non poteſt, partim ſpecimina amoris in rempubl. ab eo jam edita.

PONERE. Abjicere, deponere. *Or.* 59. ponere *ambitum*. Or. III. 12. ponere *vitia*. Ad Fam. VIII. 6. *candide* ponere *inimicitias.*

Afferre, commemorare in diſputatione & oratione. *Cæl.* 7. poſuiſtis *enim .... conjurationis hunc participem fuiſſe*. Confer *Fin.* II. 26. *Leg.* II. 3. *Red.* I. 7. Huc refer illud: *ad Fam.* IX. 15. ponor *ad ſcribendum.*

*Pecunia* etiam dicitur *poni*, cum fœnori datur. *Verr.* III. 70. *cum* poſita *eſſet pecunia apud eas ſocietates, unde erat attributa, binis centeſimis fœneratus eſt*; unde deinde metaphorice ſumptus, beneficium, tempus, poni dicitur.

*Ponere quæſtionem* dicitur qui aliquem jubet de re aliqua dicere: cujuſmodi quæſtiones hinc θέσεις appellantur. *Ad Fam.* IX. 26. *Tuſc.* I. 4. *Or.* I. 22. 33. II. 1. &c.

Apponere, ſubornare. *Ad Fam.* VIII. 12. ponere *alicui accuſatorem.*

Tanquam conceſſum & verum ſumere. *Div.* I. 52. *hoc autem* poſito *atque conceſſo*. Cæcin. 11. *eſt hæc res* poſita, *quæ ab adverſario non negatur.*

PONTIFICES. Sunt communes ſacerdotes omnium Deorum. *Vide* Leg. II. 8. *diviſque aliis ſacerdotes, omnibus* Pontifices, *ſingulis flamines ſunto*. Inter Pontifices autem princeps fuit, qui *Pontifex Maximus* dicebatur. Reliqui diſtinguuntur in *majores* & *minores*. *Majores* ſunt Patricii, *minores* plebeji.

POPULARIS. Qui eſt ex eodem populo, δημότης *Leg.* I. 23. *non* popularis *alicujus definiti loci, ſed civis totius mundi*. Ad Att. X. 1. *Solon* popularis *tuus.*

A populo tributus, ortus. *Dom.* 18. *honor* popularis. *Leg.* II. 4. *lex* popularis.

Populo uſitatus, ad ejus captum accommodatus. *Off.* II. 10. popularibus *verbis utendum & uſitatis*. Or. II. 38. popularis *trutina.*

Popularis porro eſt idem, qui civilis bono ſenſu dicitur. *Fin.* V. 23. *homo habet innatum quiddam civile &* populare, *quod Græci* πολιτικὸν *vocant.*

Studioſus populi, ejuſque gratiam captans etiam cum detrimento reipubl. & contra honeſtatem, de quo eſt locus claſſicus *Sext.* 45. *Off.* I. 25. *alii* populares, *alii ſtudioſi optimi cujuſque*, &c. Sed paulo honeſtius *Agr.* II. 1. popularem *Conſulem* ſe futurum pollicetur. Nempe vere, non *ficte & fallaciter popularem*, ut eſt *Dom.* 29.

Hinc *ratio popularis* ad Fam. I. 2. Sext. 53. Dom. 33. Petit. Conſ. 11. de partibus popularium, quas aliquis amplexus eſt, ſive ſtudio gratiæ populi captandæ.

Populo gratus, probabilis. *In Cæcil.* 3. *nomen cenſorium jam* populare *& plauſibile factum eſt*. Ad Att. X. 4. *quod putaret* popularem *eſſe clementiam*. Agr. II. 4. *quid eſt tam* populare, *quam pax?*

Illuſtris, pervagatus, ſpecioſus. *Agr.* II. 1. popularis *laus & lux*. Acad. IV. 2. *quorum ad illuſtres &* populares *laudes has etiam minus notas adjungimus*. Petit. Conſ. 13. *tota petitio, cura, ut pompæ plena ſit, ut illuſtris, ut ſplendida, ut* popularis.

Ad populum movendum, incitandum, aptus. *Verr.* I. 58. *quid tandem erat in illo puero* populare? *quid invidioſum?* Ibid. *non illius ætas, ſed cauſa: non veſtitus, ſed fortuna* popularis *videbatur*. Ibid. *neque erant hæ lacrymæ* populares *magis, quam noſtræ, &c.*

*Or.* II. 83. popularis *lapſus*, & *Tuſc.* V. 36. popularis *offenſio* de iis, qui in re aliqua, oratione, actione populum offenderunt. *Or.* 44. *oratio* popularis, *hoc eſt*, ad populum. *Ad Q. Fr.* I. 1. popularis *acceſſus ad tribunal.*

POPULARITER. More populi, ut populus intelligere poſſit. *Leg.* I. 6. *populariter* loqui.

Seditioſe, invidioſe. *Verr.* I. 58. *me* populariter *agere.*

PORTITORES. Sunt operæ publicanorum, qui portoria redemerant, quæ in portu ſedebant, merces excutiebant, & portorium exigebant; in quo cum iniquius & acerbius verſarentur, omnibus hominibus odioſi fuere. *Vide* Agr. II. 23. Vatin. 5. Offic. I. 42.

PORTORIUM. Vectigal, quod in portu pro mercibus ſolvitur. *Font.* 5. portorium *vini*. Verr. II. 75. portorii *viceſima*, hoc eſt, viceſi-

ma mercium, quam portorii loco ſolvebant. *Inv.* I. 30. portorium *locare*.

POSTULARE. Sæpe dicitur ſenſu forenſi, in quo proprie eſt, in cauſis privatis Prætorem rogare, ut liceat actionem alicui intendere; in cauſis publicis autem, ut liceat nomen deferre; unde deinde, per metonymiam antecedentis pro conſequente, pro accuſare dicitur. Exempla hæc ſunto, & quidem poſterioris generis. *Ad Q. Fr.* III. 1. *Gabinium tres factiones* poſtulant. *Ad Fam.* VIII. 12. *Appium eadem lege* poſtulavi. Locus clariſſimus eſt in *Cæcil.* 20. *nuper cum in Gabinium... Piſo* delationem nominis poſtularet. Sed in univerſum *poſtulare* de omni deſiderio apud prætorem expoſito dicitur. *Mil.* 22. *Servos* poſtulare *in quæſtionem*. Sic ſæpe in Verrinis.

Offic. III. 7. *ut Geometræ non omia ſolent docere, ſed* poſtulare, *ut quædam ſibi concedantur... ſic ego a te* poſtulo, *ut mihi concedas*, &c.

*Poſtulare* etiam dicuntur provinciales & ſocii, cum aliquid decerni, conſtitui ſua cauſa a ſenatu Romano petunt. *Balb.* 15. *Gaditani a ſenatu de fœdere* poſtulaverunt, &c.

POSTULATIO. In ſacris eſt prodigium, quo Dii poſtulant aliquid iræ ſuæ avertendæ cauſa fieri, unde deinde pro ipſo ſacro piaculari dicitur. *Har. R.* 10. poſtulationes *eſſe Jovi, Saturno*, &c. Ibid. 14. *eodem oſtento Telluri* poſtulatio *deberi dicitur*.

Verbum forenſe eſt, cum ſignificat petitionem apud Prætorem, ut liceat nomen deferre alicujus. *Ad Fam.* VIII. 6. *inter* poſtulationem *& nominis delationem uxor a Dolabella diſceſſit*. Ligar. 6. *primus aditus &* poſtulatio *Tuberonis hæc fuit, velle ſe de Q. Ligarii ſcelere dicere*.

POSTULATUM. Eſt petitio beneficii, quam ſocii & provinciales ad Senatum deferunt. *Verr.* II. 4. *Siculi* poſtulata *conſulibus, quæ non* poſtulata, *ſed crimina in iſtum viderentur eſſe*, ediderunt.

Conditiones pacis. *Ad Fam.* XII. 4. *legati ab Antonio ad nos intolerabilia* poſtulata *retulerunt*. Confer *Ad Att.* VII. 15.

PRÆCONIUM. Vulgo eſt præconis proclamatio. Sed aliquando vitæ genus, quod eſt præconium: *ut Fam.* VI. 18. qui *præconium* feciſſent.

PRÆDIATOR, qui prædia publico obligata & vendenda emit, adeoque pecuniam ſuam in prædiis habet. *Ad Att.* XII. 14.

PRÆDIATORIUS. *Balb.* 20. *cum Q. Mucius* de jure prædiatorio *conſuleretur*, hoc eſt, de jure, quod ad prædia publico obligata, & e lege prædiatoria vendenda pertinebat.

PRÆFECTURA. Civitas, quæ neque ſuas leges, neque ſuos magiſtratus habet, ſed aut a prætore Rom. aut a præfecto, quem prætor dedit, adminiſtratur. *Rabir. Perd.* 8. *omnis* præfectura, *regio, vicinitas veſtra*. Confer *Nat. D.* II. 2.

Munus præfecti. *Ad Att.* VI. 1. præfecturas *ſumere*. Ibid. *dare & deferre* præfecturam. *Ibid.* V. 21. *petere* præfecturam.

PRÆFECTUS. *In Cæcil.* 17. præfectus *Antonii*. Balb. 28. præfectus *fabrum*. *Præfectorum* genera quatuor fuere. Nam fuere *præfecti alarum*, qui equeſtribus turmis præerant, *præfecti evocatorum*, *præfecti fabrum*, & *civitatum* denique, hoc eſt, qui a magiſtratu provinciali in eas civitates mitterentur, in quibus ipſe aſſidue eſſe non poſſet, ut jus dicerent.

*Præfectus morum* Ad Fam. IX. 15. eſt cenſor, qui & moribus civium præeſſe dicitur. *Cluent.* 45.

PRÆROGATIVUS. *Planc.* 20. prærogativa *centuria*. Red. II. 7. prærogativæ *cuſtos*. Div. II. 35. *referre* prærogativam dicitur rogator centuriæ, cum ſuffragia conſuli renunciat. *ad Q. Fr.* II. 15. *in* prærogativa *prænunciare*, &c. Sic dicitur centuria, vel tribus quæ per ſortem accepit jus primum ferendi ſuffragii. Et quia a cæteris centuriis, vel tribubus ſemper fere creabatur, quem prærogativa crearat; (*vide* Muren. 18. Planc. 20.) & quia hoc quoque ſpectabatur, ut prærogativa nomen haberet boni ominis, (unde *Div.* II. 40. prærogativa, *omen comitiorum* dicitur) propterea accidit, ut prærogativa pro bono omine, & ſignificatione aliqua diceretur. *Ad Fam.* XV. 5. *ſupplicatio eſt* prærogativa *triumphi*. Act. I. Verr. 9. *dedit* prærogativam *ſuæ voluntatis ejuſmodi, ut eam pro* prærogativis *reddidiſſe videatur*.

*Muren.* 18. prærogativam *omen*.

PRÆS. Qui aut ſuo, aut alterius nomine prædiis populo cavet. *Ad Fam.* II. 17. prædes *pecuniæ publicæ*. Confer *Fam.* V. 20. *Rabir. Poſt.* 4. *Phil.* II. 29. Dicti tamen etiam in litibus privatis fidejuſſores, qui prædiis cavebant. *Verr.* I. 45. pro præde *litis vindiciarum cum ſatis accepiſſet*. *Pro præde* eſt præde, vel prædibus. Sic *Verr.* II. 51. *pro ſuffragio* eſt ſuffragio, vel ſuffragiis.

*Verr.* I. 54. *conſuetudo in bonis*, prædibus, *prædiiſque vendendis*.

PRÆSCRIPTIO. *Agr.* II. 9. præſcriptio *legis*, ſunt nomina auctorum, latorum, quæ legi præſcribuntur. *Ad Fam.* V. 2. *SCtum ea* præſcriptione *eſt*, &c. de nominibus eorum, qui ſcribendo affuerunt, quorumque nomina præpoſita ſunt.

PRÆSTARE. *Planc.* 1. *ſin omnia* præſtitero, *hoc eſt*, ineſſe demonſtravero.

*Aliquem præſtare* dicuntur, qui ſpondent pro eo, qualis ſit, aut futurus ſit, aut, ut talis ſit, qualis debet, aut qualem alii volunt, efficit. *Ad Q. Fr.* I. 1. 3. *eſſe circumſpiciendum diligenter, ut in hac cuſtodia provinciæ non* te unum, *ſed omnes* miniſtros *imperii tui* ſocios præſtare *videare*. Ad Att. VI. 2. *nec ſatis eſt*, ſe *quemque* præſtare. *Ibid.* quem *ego* præſtare *non poteram*. Ad Q. Fr. III. 8. *Meſſalam Cæſari* præſtabo, *hoc eſt*, certo ſcio, eum, ut Cæſar optat, Conſulem fore.

Similiter *res* dicuntur *præſtari*, cum aliquis cavet eas non eventuras, aut ita, ut volumus, vel earum periculum & culpam ſuſcipit. *Ad Fam.* I. 4. *a vi* præſtare *nihil poſſum*. Ibid. VII. 17. *ultima tibi jucunda & honeſta* præſtabo. *Or.* I. 24. *culpam* præſtare. *Mur.* 2. *periculum judicii* præſtare.





PRÆTESTA. Toga alba cum limbo purpureo, a quo nomen duxit; qua utebantur magiſtratus. ſacerdotes, magiſtri ludorum, & puelli puellæque ingenuæ. *Red.* II. 5. *conſul cum toga* prætexta. Confer *ad Q. Fr.* II. 12. *Verr.* I. 58. &c.

Fabula Romani argumenti, in qua prætextati, *hoc eſt*, magiſtratus, inducebantur. *Ad Fam.* X. 32. prætextam *poſuit*, hoc eſt, agendam curavit. *Ibid.* prætextam *ſi voles legere*.

PRÆTOR. Olim nomen Conſulis, quia exercitus idem duxerat. *Leg.* III. 3. ex XII. tabb. *regio imperio duo ſunto, iique præeundo, judicando, conſulendo*, Prætores, *judices, conſules appellantur*.

Poſtea a Conſulatu ſeparata eſt juriſdictio, & nomen prætoris datum ei, qui eam acceperat: is dictus eſt *prætor urbanus*, qui jus dicebat inter cives, cujus ſæpe mentio apud Ciceronem. Additus poſt, alter, qui jus diceret inter cives & peregrinos, & *prætor peregrinus* dictus eſt. Cum autem a. U. C. DCIV. quæſtiones perpetuæ conſtitui cœpiſſent, creati ſunt prætores, qui quæſtionibus præeſſent, & hinc *quæſitores* dicti ſunt. Sed prætores etiam dicti, non ſolum, qui poſt præturam in urbe miſſi ſunt in provinciam, & Proprætores quoque appellati, qualis Verres prætor Siciliæ; ſed etiam, qui poſt Conſulatum, & qui proprie Proconſules dicti. Sic *ad Fam.* II. 17. Bibulus Proconſ. Syriæ appellatur *prætor*.

PRÆTORIUM. Tabernaculum prætoris in caſtris. *Div.* I. 33. *cum Sylla in agro Nolano* prætorium *immolaret*.

Ædes in provinciis, in quibus magiſtratus provincialis habitabat. *Verr.* IV. 28. *ut id in* prætorium *deferrent*.

PRÆTORIUS. *Red.* I. 7. *Prætorii*, qui Prætores fuere.

*Verr.* I. 52. prætoria *turba*, qualis, ſcilicet, confluere ad prætorem urbanum ſolet. *Cobors* prætoria, *vide* COHORS. *Jus* prætorium, *vide* JUS.

PRAGMATICUS. Juris peritus, oratorum miniſter. *Or.* I. 59.

Politicus, prudens. *Ad Att.* II. 20. *homines* pragmatici *cavere jubent, & vetant credere*. Ibid. XIV. 3. *ſi quid* pragmaticon *habes, ſcribe*.

PRESSUS. De voce eſt 1. obſcurus. *Red.* II. 6. preſſa *vox & temulenta*. 2. bene expreſſus. *Nat. D.* II. 59. *lingua ſonos vocis diſtinctos &* preſſos *efficit*.

De oratione autem, 1. brevis, & opponitur luxurianti. *Or.* II. 23. *oratio* preſſior. 2. Tenuis, ſubtilis, acutus. *Or.* II. 13. preſſus *verbis*. Brut. 55. *cavenda eſt* preſſo *oratori inopia & jejunitas: amplo*, &c.

PRINCEPS. Auctor. *Tuſc.* I. 21. *ejus inventor &* princeps. *Arch.* 1. *hunc mihi* principem *& ad ſuſcipiendam, & ad ingrediendam horum ſtudiorum rationem extitiſſe*.

*Principes civitatis* ſunt *principes optimatium*. Vide *Sext.* 45. 48. 49. 66. *Red.* II. 3. Sed *optimates κατ' ἐξοχὴν principes* dicuntur. *Or.* I. 7. principum *cauſa*. Dicuntur tamen ſic etiam primores potentiſſimi cum popularium, tum optimatium. *Ad Fam.* I. 9. principes *in rep.*

*Princeps Senatus*, Fr. Or. pro Scauro, eſt is, quem Cenſor Senatum recenſens primum legit. *Princeps juventutis*. Vatin. 10. ad Fam. III. 11. cujus nomen primum recitavit cenſor, ordinem equeſtrem recenſens.

Genus militum, qui olim gladiis pugnabant, medii inter haſtatos & pilanos, & ordo ejus generis. *Ad Brut. ep.* 8. *Cretenſi bello octavum* principem *duxit*, hoc eſt, octavum principum ordinem.

PRIVILEGIUM. Dom. 17. *vetant leges ſacratæ, vetant* XII. *tabulæ leges privis hominibus irrogari*: id eſt enim *privilegium*. Confer *Leg.* III. 4. 18.

PROCINCTUS. *Or.* I. 53. *Nat. D.* II. 3. *teſtamenta in* procinctu. Sunt militaria, quæ fiunt ante, quam ad prælium itur; tum enim miles eſt in procinctu.

PRONUNTIARE. Vis aliquando ineſt huic verbo eadem ac *Promittere*. Cluent. 29. *quam pro reo* pronuntiaſſet *pecuniam*.

PULVINAR. Lectus Deo in templo poſitus, & ipſum templum. *Haruſp. R.* 5. *pulvinaribus ſtuprum intulit*. Dom. 53. *aram & ædiculam &* pulvinar *dedicaſſet*. Confer *Catil.* III. 10.

PUNCTUM. Suffragium, quia ſcilicet, in comitiis ſuffragia ſingulorum punctis in tabulis notabantur. *Planc.* 22. *nonnullas tribus* punctis *pene totidem tulerunt*. Confer *Mur.* 34. *Tuſc.* II. 26. Hinc *Or.* II. 41. puncta *argumentorum*.

## Q.

QUADRARE. In rationibus eſt, cum acceptorum & expenſorum ſummæ pares ſunt. *Verr.* I. 36. *quomodo D. C. eodem modo* quadrarint.

Commodum, idoneum eſſe. *Brut.* 11. *quoniam tibi ita* quadrat. *Ad Att.* IV. 18. *ad multa* quadrat. *Ibid.* XIII. 33. *ſi neutrum* quadret.

Orationem numeroſam efficere, eſt *quadrare orationem*. Or. 58. Or. III. 44.

QUADRUPLATOR. Delator, calumniator. Nomen inde ductum eſſe quidam exiſtimant, quod quartam partem ejus pecuniæ accipiebat, de qua delatio erat, aut multæ, quæ damnato irrogabatur. *In Cæcil.* 7. *Verr.* II. 8. quadruplatorum *deterrimus*. Iidem dicuntur *cap.* 9. *calumniatores*.

QUÆRERE. Vocabulum Philoſophorum pro *quæſtionem ponere*. Nam ſolebant ita poſtulare materiam differendi: *Num quis quid quærit?* Or. I. 22.

De quæſtione per tormenta, *Roſc. A.* 41. quærere *ex aliquo*. Ibid. 41. quærere *in aliquem*.

De quæſtione rei capitalis. *Act.* I. *Verr.* 8. quærere *de repetundis*.

Deliberare, excogitare. *Phil.* IX. *honores* quærere *alicui*.

Deſiderare. *Verr.* III. 18. quærere *multitudinem jugerum*.

QUÆSITOR. Eſt prætor, qui quæſtioni capitali præeſt. *Act.* I. *Verr.* 10. *Catil.* IV. 5.

QUÆSTIO. In rhetoricis quid ſit. *Inv.* I. 6. *Or.* II. 19.

Materia quæcunque, de qua quæritur. *Or.* 10. *ſuſtinere* quæſtionem *tantam non poſſim*. Att. XIII. 19. *omnis Academica* quæſtio.

Tormenta ad veritatem exquirendam adhibita. *Roſc. Am.* 41. *in* quæſtionem *dari*. Hinc etiam de iis dicitur, quæ tormentis expreſſa ſunt. *Cluent.* 65. *tabellæ* quæſtionis. *Ibid.* 66. quæſtio *ficta*. Item de advocatis; quibus præſentibus quæſtio habita eſt. *Cluent.* 65. quæſtio *dimiſſa eſt*.

Judicium in cauſa capitali. *Act.* I. *Verr.* 10., quæſtioni *præeſſe*. Mil. 5. quæſtio *nova*, hoc eſt, nova lege conſtituta. *Rab. Poſt.* 6. quæſtione alligari: id fit, cum lex facta eſt, ex qua accuſari in cauſa publica poſſumus. *Brut.* 27. quæſtiones *perpetuæ*. Is locus eſt claſſicus. De quæſtionibus perpetuis tirones hæc teneant. Ante L. Piſonis tempora cauſæ publicæ agebantur apud populum in comitiis, unde *judicia populi* dicebantur, cum nullæ leges eſſent, ex quibus apud magiſtratum reus agi aliquis de crimine publico poſſet. A. U. autem DCIV. Cenſorino & Manilio Coſſ. tribunus plebis L. Piſo primus legem de repetundis tulit, quam deinde aliæ leges de criminibus publicis ſecutæ ſunt, quibus cautum erat, uti ad quæſitorem aliquem, cui ea quæſtio obtigiſſet, hæ cauſæ per judices ſelectos agerentur. Et quoniam quotannis creabantur quibus hæ quæſtiones mandarentur, adeoque ſemper eſſent, qui eas exercerent, propterea *perpetuæ* ſunt appellatæ.

*Judex quæſtionis*. Brut. 76. *is cum poſt curulem ædilitatem* judex quæſtionis *eſſet*. Cluent. 27. *Patronus L. Quintius convicium C. Junio*, judici quæſtionis, *maximum fecit, ut ne ſine Staleno in conſilium iretur*. Ibid. 29. *Atque in hanc flammam recentem, C. Junium qui illi* quæſtioni præfuerat, *infectum eſſe memini, & illum hominem ædilitium, jam prætorem opinionibus hominum conſtitutum, &c.* Confer *ibid.* 33. in quo omnia judici quæſtionis tribuuntur, quæ prætori quæſitori, ex quibus intelligitur fuiſſe prætoris vicarium.

Judices & quicunque judicio interſunt. *Verr.* II. 30. *dimiſit* quæſtionem.

QUÆSTORIUM. Ædes, in quibus quæſtor habitat. *Planc.* 41.

QUÆSTORIUS. *Verr.* I. 21. *legatus* quæſtorius, eſt, qui poſt quæſturam ſit alicujus Imperatoris legatus.

## R.

RATIO. *Inv.* I. 13. *controverſia in* ratione, opponitur ei, quæ eſt in ſcripto.

Ars, ſcientia. *Inv.* I. 5. *civilis* ratio, *Arch.* 1. *ſi in me eſt hujuſce rei* ratio *aliqua*. Brut. 74. *non fuit* rationis *aut ſcientiæ*. In Cæcil. 11. *aliqua in foro, judiciis, legibus aut* ratio, *aut exercitatio*.

Methodus, regulæ. *Fin.* V. 4. *neceſſaria mathematicorum* ratione *concludere*. Off. I. 2. *omnis quæ a* ratione *ſuſcipitur inſtitutio*. Fin. I. 9. ratione *& via*. Nat. D. II. 16. ratione *& numero moveri*. Brut. 37. *ad* rationem *dirigere omnia*. Ibid. 74. rationem *adhibere*.

Artificium aliquod. *Agr.* II. 7. *quod per cæremonias populi fieri non poterat*, ratione *aſſecutus eſt*.

Sententia. *Manil.* 17. *ab hac* ratione *diſſentiunt*. Fin. 5. ratio *delicatior ac mollior*.

Diſciplina philoſophi alicujus. *Fin.* I. 9. *Epicuri* ratio.

Conſilium. *In Cæcil.* 11. *tua* ratio *eſt*. Ad Fam. III. 5. *tua* ratio *poſtea eſt commutata*.

Commodum. *Red.* I. 1. *ſi* rationes *meas veſtræ ſaluti antepoſuiſſem*. Act. I. Verr. 9. ratio *non erat*, pro, non erat e re mea.

Ponitur & pro re ipſa. *Inv.* I. 1. ratio *ipſa*. Cæcin. 3. *per* fiduciæ rationem *fraudare*. Verr. I. 2. *veritatis* ratio.

Species. *Verr.* III. 85. *quam* rationem *habet, non dico æquitatis, ſed improbitatis*.

*Nat. D.* III. 27. ratio *bona*, id eſt, ſana.

Verr. II. 70. *re ac* ratione *conjunctus*, de ſociis in negotiatione aliqua.

Addamus formulas quaſdam. *Syll.* 3. *ſin eſt in me* ratio *reipublicæ*, pro, ſi habeo ejus rationem. *Ad Fam.* XI. 14. *pecuniæ* ratio *habebitur*, hoc eſt, curabitur, ut detur. *Nat. D.* III. 29. *levitates comicæ parumne in* ratione *verſantur?* hoc eſt, adhibent rationem. *Verr.* I. 23. *eſt aliqua rei* ratio.

RECIPERE. *In Cæcil.* 8. recipere *cauſam*, dicitur de eo, cui oblata eſt. *Suſcipit*, qui ſponte eam agere inſtituit.

Accipere. *Roſc. C.* 8. *ſi* recipere *hos quæſtus poſſes*. Rabir. Poſt. 4. *nec ex ejus bonis, quanta ſumma litium fuiſſet*, recipi *a populo*.

Eſt & verbum forenſe. Nam prætor *recipere nomen* dicitur, cum delatum ab aliquo in numerum reorum refert. Verr. II. 38. *Ad Fam.* VIII. 8.

Excipere in venditione. *Top.* 27. *venditores... rutis cæſis* receptis, *concedunt tamen aliquid emptori, &c.* Confer Gellium XVII. 11.

Gladiatores *recipere ferrum*, dicuntur, cum ſe jugulari ab adverſario patiuntur. *Sext.* 37. *Tuſc.* II. 17.

RECUPERATOR. Eſt judex in cauſa privata, ad quem de re pecuniaria, aut poſſeſſione quacunque certatur. *Verr.* III. 13. *in Cæcin.* 15. *Cæcin.* 1. Hinc *recuperatorium* judicium, *Verr.* III.

REDIMERE. Dicitur de mancipe, qui ædificium extruendum conducit: ei opponitur *locare*. Verr. I. 54. *Si pupillo opus* redimitur... *ne liceat pupillo opus* redimere. *Ibid.* 56. *qui* redemit, *ſatisdet &c.* Hinc illud intellige *Verr.* I. 11. *qui iſtum eripiendum* redemerunt.

Pecunia data, ſe aut alium aliqua moleſtia liberare. *Verr.* III. 20. redimere *conantur rem confeſſam*. Unde & metaph. *ad Fam.* II. 16. *acerbitatem a republica privatis commodis* redimere. *Ibid.* X. 8. *non præteritam culpam videri volo* redemiſſe.

RE-



REFERRE. Reſpondere. *Bacin.* 29. *ego tibi* refero. *Quint.* 13. *quid a nobis* refertur.

Inſtaurare. *Flacc.* 1. referre *Valeriæ gentis laudem*. *in Cæcil.* 22. referre *inſtitutum*. Confer *in Cæcil.* 21.

Reddere. *Verr.* III. 96. referre *judicia ad equeſtrem ordinem*.

In rationibus ſæpe dicitur elliptice pro, referre in tabulas rationum. *Flacc.* 19. *operi publico* referunt, *hoc eſt*, pecuniam in rationes referunt, tanquam conſumptam in opere aliquo publico.

Item de ſenatus-conſultis, pro referre in tabulas publicas, in tabularium, quod erat ad ærarium. *Ad Fam.* XII. 1 *ſenatus-conſulta* referuntur. *Phil.* V. 4. de rationibus cum ad ærarium deponuntur. *Verr.* I. 30. III. 71. Item de aliis rebus, quarum memoria literis publicis mandatur. *Syll.* 14. *me aliter ac dictum eſt, in tabulas publicas* retuliſſe. *Ibid. qui his hominibus ad vere* referendum *fidem defuiſſe putet*.

Reddere. *Nat. D.* III. 14. *cum ſe ſol* referat.

*Referre* dicitur etiam *ad aliquem*, qui ei aliquid deliberandum, examinandum, judicandum, decernendum, jubendumve proponit. *Tuſc.* I. 16. *ad oculos omnia* referre *Phil.* II. 6. *ecquid ad eum de republica* retuliſti. *Quint.* 16. *ad ſe ipſum aliquid* referre. *Catil.* I. 8. referre *ad Senatum*. Manil. 19. Cicero prætor dicit, *ſe ad ſenatum* relaturum *de re aliqua*, quod erat conſulum. Eſt autem de egreſſione relationis intelligendum, cum Senatores jus haberent non ſolum ſententiam dicendi de eo, de quo interrogati erant, ſed etiam de alia re, de qua relatum a Coſſ. non erat.

Dom. 29. *rem judicatam* referre, ſcilicet, in judicium, ut de ea iterum judicetur.

RELIGIO. Sacra. Genus ſacrorum. *Dom.* 41. religiones *ſuſcipere*, eſt ſacra nova inſtituere, ſive ſacrum aliquid efficere. *Ibid.* 47. *date huic* religioni (ſcilicet, huic modo ſacrandarum ædium privatarum) *aditum*. Confer *Phil.* I. 6.

Sanctitas loci. *Dom.* 39. *inferre* religionem... *eripere* religionem.

Res quæcunque, quæ ad religionem pertinet. Sic *Verr.* II. 51. *lex de* religione, eſt de ſacerdotio. Item *religiones* dicuntur de auſpiciis, prodigiis, &c. quæ dubitationem agendi afferunt, aut impediunt aliquid. *Dom.* 54. *cum ejus dedicationem fictis* religionibus *impedirent*. Ad Fam. X. 12. *oblata Cornuto* religio *eſt, admonitu pullariorum*.

Culpa quæ contrahitur, ſi religiones violantur. *Nat. D.* II. 4. religio *hæret in republica*. Cæcin. 34. religione *ſolvi*.

Superſtitio. *Div.* II. 54. religiones *ſuſcipere*. Ibid. religiones *deponere*. Dom. 49. *homo* religionibus *deditus*.

Obligatio quæcunque ad aliquid omittendum, cujus reſpectu rebus quædam ſanctitas ineſt, propter quam eas violare nefas eſt; unde & pro dubitatione, ſcrupulo... in rebus agendis. *Verr.* I. 15. *ſi nullam* religionem *ſors habet*. In Cæcil. 14. religio *ſortis*. Verr. III. 58. religio *ſocietatis*. Roſc. Am. 24. *magnam* religionem *poſſidet paternus ſanguis*. Ad Att. XII. 36. *poſteritas habet* religionem. Catil. III. 6. *ut, quæ* religio *C. Mario non fuerat, ea nos* religione *in privato P. Lentulo puniendo liberaremur*.

Summa in quacunque re diligentia, ne quid minus recte fiat. *Ad Fam.* XI. 29. religio *in conſilio dando*. Cæcin. 2. *judicandi mora &* religio. *Or.* 8. *eorum* religioni (qui ſcilicet nihil niſi rectiſſima probabant) *cum ſerviret orator*. Brut. 82. religio *oratoris*. Ibid. religio *nimia*.

Difficultas, objectio. *Or.* 11. *hac ego* religione *non ſum ab hoc conatu repulſus*.

RENUNCIARE. *Verr.* I. 54. renunciat *illam deciſionem*. Hoc eſt, nunciat at illam pactionem, quam feciſſent, ratam non eſſe, improbari ab eo, cujus in ea re voluntas maxime ſpectanda eſt.

Prodere dicendo. *Act.* I. *Verr.* 6. renunciata *eſt tota conditio*.

REPRÆSENTARE. Eſt proprie in re pecuniaria pecuniam ſtatim ſolvere, atque adeo prænumerare, ante diem ſolvere. *Ad Att.* XII. 25. *dum a Faberio* repræſentabimus. *Ibid.* 29. *Si qua etiam jactura facienda ſit in* repræſentando.

Hinc dicitur pro facere aliquid ante tempus, citius quam debeas, aut conſtitutum ſit. *Ad Att.* XVI. 2. *mihi videntur etiam iſtorum animi incendi ad* repræſentandam *improbitatem ſuam*, hoc eſt, citius demonſtrandam, quam ante conſtituerant. *Ad Fam.* V. 16. *neque expectare temporis medicinam, quam* repræſentare *ratione poſſumus*. Ibid. XVI. 14. *dies promiſſorum adeſt* (hoc eſt, non longe abeſt) *quem etiam* repræſentabo, *ſi adveneris*: hoc eſt, etiam ante libertas dabitur, quam promiſeram. *Phil.* II. ult. *quin etiam corpus libenter obtulerim, ſi* repræſentari *morte mea libertas civitatis poteſt*, hoc eſt, ſi mors mea efficere poteſt, ut eo citius libertas reſtituatur civitati.

Sext. 11. *quod ipſum templum* repræſentabat *memoriam conſulatus mei:* hoc eſt, præſentem animis faciebat, inſtaurabat.

RES. De re familiari, pecuniaria. *Senect.* 7. rem *male gerentes patresfam.* Rabir. Poſt. 2. *in pluribus provinciis ejus verſata* res *eſt*. Quint. 11. *cum* res *ab eo, quicum contraxiſſes, receſſiſſet*.

Cauſa, commodum. *Phil.* II. 2. *contra* rem *alicujus venire*. Dicitur de eo, qui in judicio aliquem quacunque ratione oppugnat.

Sext. 62. *ad* res *redire* dicuntur cives Rom. ex agris, qui e comitiis domum redeunt.

*Red.* II. 11. *res redire* dicuntur, cum cauſæ in foro aliaque publica negotia, propter ferias vel aliis de cauſis intermiſſa, (*res prolatas* dicunt) repetuntur.

Or. II. 11. *ineſſe in ratione* rerum. *Or.* I. 21. *poſitum eſſe in* re *atque natura*. De iis rebus, quæ ſunt, non modo finguntur.

*Verr.* I. 14. res *rationum*; per periphraſin, pro, *rationes*.

RESPONDERE. Eſt eorum qui conſuluntur, ut juriſconſultorum, Pontificum, conjectorum, hariolorum. *Leg.* II. 12. reſpondendi *juris facultas*. Or. I. 45. *in jure* reſpondendo. In quo ani-

animadvertenda eſt forma: *jus reſpondere*, pro uſitatiori, *de jure reſp.* ad Att. IV. 1. *Pontifices* reſponderunt.

Reſpondere, dicitur de litigantibus in foro, petitore, accuſatore & reo. *Verr.* I. 1. *Verrem non* reſponſurum. Confer *Verr.* II. 40. *Ad Att.* IV. 16.

Etiam in delectu militari *reſpondere*, dicuntur, qui militiam non detrectant. Hinc ductum videtur illud, *Or.* III. 49. cum pedes, quibus numeri cauſa utimur, dicit, *reſpondere* non vocatos.

Paria præſtare, gratiam referre. *Ad Att.* IV. 3. *re familiari comminuti ſumus. Quinti fratris tamen liberalitati pro facultatibus noſtris, ne plane exhauſtus eſſet*, reſpondemus.

Solvere ad diem conſtitutam. *Ad Att.* XVI. 2. *fit ſæpe, ut ii, qui debent, non* reſpondeant *ad tempus*.

RESPUBLICA. Tribus modis dicitur, nempe, primo, de univerſa civitate, aut imperio. Deinde de ſingulis ejus partibus. Reipublicæ partes autem commemorantur commode ab ipſo Cicerone *Sext.* 46. *religiones*, *auſpicia*, *poteſtates magiſtratuum*, *ſenatus auctoritas*, *leges*, *mos majorum*, *judicia*, *juriſdictio*, *fides*, *provinciæ*, *ſocii*, *imperii laus*, *res militaris*, *ærarium*. Tertio dicitur de quacunque actione, negotio, quod publicæ utilitatis cauſa ſuſcipitur, aut quocunque modo ad rempublicam pertinet. Itaque in legendo Cicerone judicare debent tirones, ad quod genus in quoque loco referendum ſit, tumque demum ſe hoc verbum, cum ad alterum tertiumque genus pertinet, putent intelligere, cum poſſunt partem illam univerſæ reipubl. aut negotium publicum nominare, de quo capiendum eſſe contextus doceat. Primæ ſignificationis exempla dare ſupervacuum eſſet. Alterius hæc ſunto.

Leges. *Verr.* I. 2. rempublicam *poſſe Senatorio conſilio defendi*. Sermo enim eſt de lege de pecuniis repetundis, & de judicio ex ea.

Magiſtratus poteſtas. *Verr.* I. 12. *ad* rempublicam *accedere*. Nam hoc de iis dicunt latini, qui quæſtores fiunt, aut poteſtatem aliquam conſequuntur primum, quæ magiſtratuum eſſe ſolet. *Vide* Phil. V. 18. Roſc. Am. 1. Or. II. 25.

Bellum, res militaris. *Manil.* 21. rempublicam *bene gerere*. Ad Fam. X. 11. rempubl. *ex veſtra ſententia adminiſtrare*, hoc eſt, vincere.

Victoria. *Nat. D.* II. 2. *temere de* republica *locutus*.

Ærarium, pecunia publica. *Phil.* II. 3. *reliquias* reipubl. *diſſipare*. Verr. I. 13. rempubl. *adminiſtrare*, de quæſtore. *Ibid.* V. 22. *de* republica *detrahere*.

Provincia. *Ad Fam.* XIII. 68. *ſi ad me de* republica, *id eſt*, *de ſtatu provinciæ*, *de inſtitutis tuis familiariter ſcribes*.

Libertas publica. *Ad Fam.* XI. 13. *bonam ſpem de ſumma* republica *vos habere volumus*. Ibid. X. 3. *unus eſt*, *per tot annos* republ. *devexata*, *curſus* reipublicæ *bene gerendæ ad gloriam*.

Securitas publica. *Roſc. Am.* 49. *ideone nobilitas recuperavit* rempublicam, *&c.*

Supplicatio. *Phil.* III. 9. *cum de* republica *relaturus fuiſſet .... fecit Sctum de ſupplicatione*, *&c.*

Tertii generis exempla hæc ſunt: *Cæcin.* 20. *abſit* reipublicæ cauſa, *hoc eſt*, legationis aut belli gerendi cauſa. *Verr.* II. 55. reſpublica *adminiſtrari non poterat*, hoc eſt, exactio & ſolutio tributi. *Mil.* 15. reipubl. *partem ſuſcipere*, de cæde Clodii. *Balb.* 20. *a* republica *bene gerenda*, hoc eſt, a fortibus viris civitate donandis. *Phil.* V. 15. reſpublica *ſæpe & bene & feliciter geſta*, ut reſtitutione Sext. Pompeji, bello civili extinguendo.

*Piſ.* 32. *Cæſarem non eadem* de republica ſenſiſſe, *quæ me ſcio*. Verr. I. 14. *quod* de republica ſenſit. Hæc formula capienda eſt de partibus, quas quis in republica ſequitur, utrum ſcilicet, popularis ſit, an cum optimatibus faciat.

*Mur.* 11. republica *perfrui poſſumus*, hoc eſt, omnibus commodis, quæ jure, lege, &c. civis Rom. ſunt.

RESTITUTIO. Eſt verbum juris, 1. cum aliquem reduco in eum locum, fundum, ædes, unde vi dejeci. *Cæcin.* 13. 22. *vim factam* reſtituere. 2. Cum is, qui reſtituere jubetur a prætore, negat ſe dejeciſſe; nam id facit, cum dicit; *reſtitui*. Quoniam enim eum non dejecit, & manſit in poſſeſſione is, qui reſtitui jubetur, idem eſt, ac ſi dejectus reſtitutus eſſet. *Cæcin.* 19. 29. 32.

Verr. II. 26. *judicia* reſtituta *ſunt*, hoc eſt, res judicatæ ſublatæ, & ii qui judicio damnati erant, in integrum reſtituti ſunt.

Ad Att. XV. 4. *neſcio quid ab eo literularum*, *uti me ſibi* reſtituerem, *hoc eſt*, ſibi iterum amicus fierem.

REVOCARE. Invitare ad convivium, a quo ante excepti ſumus. *Roſc. Am.* 18.

Or. II. 52. *ad ſuas res* revocare *aliquem* dicitur, qui ei in memoriam redigit, quæ ipſi acciderunt.

Referre. *Flacc.* 12. revocare *omnia ad gloriam ſplendoremque*.

Expedire ſe ex re aliqua, in quam nos immiſimus. *Piſ.* 29. revocare *ſe non poterat*, *familiaritate implicatus*.

*Dom.* 55. revocare *ſe* dicitur, qui hæſitat in legendo, recitando, dicendo.

Actores dicuntur *revocari*, cum jubentur a ſpectatore repetere verſus aliquos. *Tuſc.* IV. 29. *Socrates dicitur ter* revocaſſe *verſus primos*. Sed in genere *revocari* dicuntur, quin eandem rem altera vice dicunt. *Arch.* 8.

Item, qui jubentur altera vice accuſari. *Ad Q. Fr.* II. 6. *populus* revocat.

Inſtaurare, reficere. *Fam.* VII. 26. *vires & corpus amiſi. Sed ſi morbum depulero, facile, ut ſpero, illa* revocabo.

Temperare ſibi, dicitur, *revocare ſe*. Ad Att. XIII. 1.

Corrigere. *Div.* II. 46. *cum ita nati eſſent*, *ut quædam depravata haberent*, *reſtituerentur & corrigerentur ab natura*, *cum ſe ipſa* revocaſſet, *aut arte*, *atque medicina*.





REUS. Is cujus res agitur, non ſolum accuſatus, ſed etiam is, unde petitur. *Or.* II. 79.

ROGARE. In petitionibus eſt amicorum candidati, qui populum pro eo prenſant. *Planc.* 10. *neque enim ego ſic* rogabam: *ut petere viderer*, *quia familiaris eſſet meus .... ſed ut quaſi parenti*. Deinde vero etiam Candidati, de quo ſi dicitur, in deteriorem partem accipitur. Nam *petere* proprie eſt verbum, quo utuntur, cum prenſatur populus. *Rogare* autem dicitur, cum unus hac poteſtate eſt, ut magiſtratus tribuat, cui velit, adeoque ab eo Candidatus magiſtratum petit. *Phil.* II. 30. *in proximum annum conſulatum* peteres, *vel potius* rogares, *per municipia coloniaſque Galliæ*, *a qua nos tum*, *cum conſulatus* petebatur, *non* rogabatur, *conſulatum petere ſolebamus*.

*Rogare* eſt porro magiſtratuum: cum ferunt ad populum legem, aut comitiis creandorum magiſtratuum præſunt. *Muren.* 1. *quibus conſulatus*, *me* rogante ( quippe conſule illius anni & quidem primum creato ) *datus eſſet*. Ad Att. IX. 15. *ut conſules* roget *prætor*, *vel dictatorem dicat*, *quorum neutrum jus eſt*. Sext. 24. *Piſoni provincia* rogata *eſt*. Leg. II. 12. *lex jure* rogata. *Jure* autem *rogatur* lex, cum in lege ferenda nihil ſit contra leges de auſpiciis aliaſque.

Flacc. 13. *nos hic in mare ſuperum & inferum ſeſtertium ter & quadragies* rogabamus, *id eſt*, *erogabamus*.

ROGATIO. Interceſſio & prenſatio in comitiis. *Planc.* 10. rogatio *ſemper eſt gratioſiſſima*.

Lex. *Sill.* 22. rogatio *Cæcilia*.

ROGATOR. In comitiis eſt 1. magiſtratus, qui comitiis præeſt. *Vide* Rogare. *Nat. D.* II. 4. rogatorem *comitiorum juſtum non fuiſſe*. 2. Amici candidati, aut ejus, ad quem lex pertinet, qui ſingulos cives ſuffragia ferentes rogant, quem ſuffragio ſuo creatum velint, quid de lege fieri velint, idque ex veteri inſtituto, quo ſuffragia voce dabantur. Poſt tabellis inductis manſit nomen *rogatorum*. *Red.* II. 11. *quando illa dignitate* rogatores, *diribitores*, *cuſtodeſque vidiſtis*? Piſ. 15. *vos* rogatores, *vos diſtributores*, *vos cuſtodes fuiſſe tabularum*. Div. II. 35. rogator *centuriæ*.

RUTA, orum. *Top.* 25. *Or.* II. 55. *Partit.* 31. ruta *cæſa*. Ita dicitur ſupellex omnis, quæ loco moveri poteſt, eique opponuntur *fixa*.

## S.

SACRAMENTUM. Jusjurandum militare. *Off.* I. 11. *ut ſecundo eum obligaret militiæ ſacramento*; *quia priore amiſſo*, *jure cum hoſtibus pugnare non poterat*.

In foro *ſacramentum* erat pecunia, quæ a litigantibus deponebatur apud Pontificem, ut, qui cauſa caderet, amitteret eam pecuniam: quod ejus rei cauſa fiebat, ne impune alicui negotium petendo, aut juſta petenti inficiando, fruſtra crearetur. Inſtituta autem res eſt etiam propter inopiam ærarii, auctore Varrone, ut id inde aliquem reditum haberet. Differt a ſponſione ſacramentum in eo, quod in ſponſione non deponitur pecunia, ſed tantum promittitur. *Ad Fam.* VII. 32. ſacramento *contendere*. Hinc ipſa petitio *ſacramentum* dicitur, quæ ſacramento interpoſito fit. *Cæcin.* 33. *non poſſe noſtrum* ſacramentum juſtum *judicari*. Dom. 29. *ſi decemviri* ſacramentum *in libertatem injuſtum judicaſſent*. Or. I. 10. *juſto* ſacramento *contendere*. Confer *Mil.* 27.

SAGUM. Eſt veſtis militaris, qua etiam omnes cives Romani in urbe utebantur ex Scto in tumultu.

SANCTIO. Eſt caput legis, quod pœnam continet, qua tanquam ſanctæ & inviolabiles leges fiunt. *Verr.* IV. 66. *Balb.* 14.

SAPIENTIA. *Or.* III. 15. quid Græcis ſit. *Ibid.* II. 1. ſapientia *omnis*, eſt eruditio.

Juris ſcientia. *Hinc ad Fam.* I. 10. jocus ad Valerium JCtum: *ubi audacia licet pro* ſapientia *uti*.

*Tuſc.* III. 18. in plurali, *ſapientiæ*.

SARTUS. *Verr.* I. 40. 49. ſarta *tecta exigere*. *Sarta tecta* ſunt opera publica, inprimis templa, quæ a cenſoribus locantur, ut aut nova ædificentur, aut ſarciantur, ſi quid in iis aut vitii eſt, aut melius aliquid novumve extruendum eſſe videtur. Ubi autem opus a redemptore ex lege cenſoria traditur Cenſoribus, Cenſores exigere dicuntur ſarta tecta.

SATISDARE. Eſt, datis prædibus cavere alicui, aut ſponſoribus, in re pecuniaria. *Ad Fam.* XLII. 28. *ſi quid* ſatisdandum *erit*. Confer *Roſc. Com.* 12. *Quint.* 7. *&c. judicatum ſolvi* ſatisdare, eſt datis prædibus cavere alicui & polliceri, quod judices judicaverint ſolvendum eſſe petitori, ſolutum iri. Ex ea autem oratione intelligitur honeſtum fuiſſe interdum ſatisdare, nempe cum pecunia, hereditas, &c. peteretur, *vide c.* 28. *extr.* minus autem honeſtum interdum fuiſſe, juberi a prætore ſatisdare, ex *cap.* 8. 9. intelligi poteſt. Nam jubebantur ex jure prætorio ſatisdare petitori ii, qui vadimonium deſeruerant, quorumque bona XXX. dies ex edicto poſſeſſa erant. Itaque recuſabat procurator Quintii ejuſque amici reliqui hoc nomine ſatisdare pro Quintio abſente, quod ſi id facerent, eo ipſo faterentur & concederent, bona Quintii eſſe poſſeſſa.

SCHOLA. Diſputatio. *Piſ.* 25. *vertes te ad alteram* ſcholam. *Ibid.* 27. *ubi ſunt veſtræ* ſcholæ. *Tuſc.* III. 34. *ſeparatim ſunt certæ* ſcholæ *de exilio*. Ibid. I. 4. ſcholas *Græcorum more habere*. Fin. II. 1. ſcholam *explicare*.

SCISCERE. Eſt proprie in legibus jubendis & quidem plebeiis. *Planc.* 14. ſcivit *legem primus*, unde *plebiſcitum*. Hinc pro *probare* dicitur, quod, qui ſciſcunt, probant. *Prov. C.* 15. *ſimul oſtendit*, *ſe eam legem* ſciſcere, *quam legem eſſe negat*. Sed eſt tamen etiam de omni ſuffragio. *Leg.* III. 3. *cum* ſciſcentur *ſuffragia*, *&c.*

SCRIBA. Genera ſcribarum duo fuere, alterum privatorum, alterum publicorum. Privati ſunt hominum privatorum ſervi. *Ad Fam.* V. 20. Publici autem ſunt homines liberi, ſed ple-

beji ordinis, inprimiſque libertini, qui in certas decurias deſcripti erant, & mercedem ex ærario accipiebant. Sorte diſtribuebantur inter magiſtratus.

SCRIPTURA. Commentatio oratoris. *Or.* I. 33.

Vectigal ærarii e paſcuis. *Verr.* II. 70. ſcriptura *Siciliæ*. Ad Fam. XIII. 65. *in* ſcriptura *pro magiſtro dat operas*.

SECTIO. Redemptio prædæ univerſæ, aut bonorum proſcripti damnative omnium. *Phil.* II. 26. *nemo fuit, qui ad illud* ſectionis *ſcelus auderet accedere*. Confer *cap.* 29.

Bona ipſa quæ redimuntur. *Inv.* I. 45. *cujus prædæ* ſectio *non venierit*. Ex *Agr.* I. apud Gell. XIII. 24. hoc fragmentum eſt: *prædam, manubias*, ſectionem, *caſtra denique Cn. Pompeji, ſedente imperatore, decemviri vendent*. Ex quo loco intelligitur, eam tantum prædæ partem *ſectionem* eſſe appellatam, quæ ad publicum pertineret, quemadmodum etiam Romæ ſectio eſt tantum eorum bonorum, quæ ærario inferenda ſunt. Nam *præda* eſt *militum*, *manubiæ imperatoris*, *ſectio* ergo *populi*.

SECTOR. Redemptor bonorum. *Roſc. Am.* 29. *ad Fam.* XV. 19. *Verr.* I. 23.

SECUNDÆ. Intellige, partes: verbum ſcenæ, in qua primæ, ſecundæ & tertiæ partes ſunt, unde ad alia traducitur. *Brut.* 69. *fuit Craſſo quaſi* ſecundarum.

SEDERE. Verſari, morari. *Ad Fam.* XVI. 7. *venti ſi eſſent, nos Corcyræ non* ſederemus. *Sext.* 23. ſedens *imperator ad portas*.

Nihil agere, quieſcere. *Ad Att.* IX. 12. *ego ipſe* ſedeo. *Coner illuc ire, ut inſanus?* Fragm. Agr. 1. ex Gell. XIII. 24. *prædam, manubias, ſectionem, caſtra denique Cn. Pompeji*, ſedente *imperatore, decemviri vendent*.

*Sedere* dicuntur, qui in tabernis, aut locis publicis, merces vendunt. *Verr.* III. 62. *Albam Æmilium*, ſedentem *in faucibus macelli*.

*Sedentes* opponuntur *dicentibus* cum in ſenatu, tum in judiciis. *Ad Fam.* V. 2. ſedens *iis aſſenſi*. Roſc. Am. 1. *Cum tot ſummi oratores, hominesque nobiliſſimi* ſedeant, *ego potiſſimum ſurrexerim*.

De magiſtratibus dicitur, cum pro roſtris in ſuggeſtu ſedent in ſella curuli, aliis dicentibus, legem ferentibus, ſuadentibus, aut in tribunali jus dicunt, vel quæſtioni præſunt. *Red.* II. 5. *quo* ſedente *legem trib. pl. tulit*. Sext. 15. ſedentibus *conſulibus*. Brut. 43. *Scævola tribuno in roſtris* ſedente, *ſuaſit Serviliam legem Craſſus*.

Item de judicibus & conſiliariis judicis, prætoriſve, & advocatis partium. *Or.* I. 37. *nonne, nobis* ſedentibus *in tribunali Q. Pompeji prætoris urbani, familiaris noſtri, &c.* Roſc. Com. 4. ſedere *in conſilio*. Cluent. 38. ſedere *in aliquem*. Ibid. 37. *paucos dies ex ſubſortitione* ſedere. *Ad Fam.* I. 9. ſedente *Cn. Pompejo*. Or. II. 47. *Cum C. Marius mœrorem orationis meæ præſens ac* ſedens *multum lacrymis ſuis adjuvaret . . . atque ipſum advocatum; ad communem imperatorum fortunam defendendam invocarem*.

SELLA. Simpliciter, pro *ſella curuli*. Junguntur interdum *ſella ac tribunal*, quia prætores ſedent in ſella curuli poſita in tribunali. *Verr.* II. 38. III. 59. *Verr.* I. 46.

Sedes magiſtri. *Ad Fam.* XI. 18. ſella *tibi erit in ludo, tanquam hypodidaſcalo, proxima*.

Sedes opificum. *Catil.* IV. 8. *qui non ipſum illum* ſellæ *atque operis & quæſtus quotidiani locum ſalvum velint*. Hinc *ſellularii* in fragm. inc.

SENSUS. Judicium. *Ad Fam.* XI. 10. *a certo* ſenſu *& vero judicare*. Ibid. I. 9. *ſed etiam* ſenſu *jam tabellaque docuerunt*.

*Senſus de republica* ſignificat partes, vel optimatium, vel popularium. *Ad Fam.* I. 8. *quam ſit difficile* ſenſum in republica *deponere*. Ibid. XII. 15. ſenſibus in republica *conjunctiſſimus*. Marcell. 6. *noſtri* ſenſus *congruebant*.

*Senſus*, qui dicitur *communis*, continetur notionibus inſitis, & naturali facultate intelligendi, judicandi, ratiocinandi, recti & boni cognoſcendi, &c. *Or.* III. 50. *omnes tacito quodam* ſenſu, *ſine ulla arte, aut ratione, quæ ſint in artibus ac rationibus recta ac prava, dijudicant: idque cum faciunt in picturis . . . tum multi oſtendunt magis in verborum, numerorum, vocumque judicio: quod ea ſunt in* communibus *infixa* ſenſibus, *neque earum rerum quemquam funditus natura voluit eſſe expertem*. Petit. 5. *nativa verba ſunt ea, quæ ſignificata ſunt* ſenſu: *reperta, quæ ex his facta, &c.*

Hinc pro indole dicitur *ſenſus*: Har. Reſp. 9. ſenſus *terræ* ( ſive incolarum ) *domeſticus ac nativus*.

Hinc *pro Dom.* 36. *communis* naturæ *ſenſus* eſt pro humanitatis eo genere, quo rebus malis commovemur & angimur.

In oratione autem & oratore *ſenſus* ſunt, cum ita dicit orator, ut ipſe commotus eſſe videatur, & omnia, etiam in narrandis rebus, ita dicit, ut ipſe pro certis, magnis, turpibus, lætis habere, & ut opus eſt & res ſunt, affectus eſſe. *Or.* III. 25. *ut oratio* ſenſus, *ut dolores habeat*. Ibid. II. 43. *hoc vel in principiis, vel in re narranda, vel peroranda tantam habet vim, ſi eſt ſuaviter &* cum ſenſu *tractatum ut ſæpe plus quam cauſa valeat. Tantum autem efficitur* ſenſu *quodam, &c.* Hæc ab ipſo Cicerone explicantur *cap.* 45. toto. *Ibid.* c. 45. *quin ipſe in commovendis judicibus, iis ipſis* ſenſibus *permoverer*.

SENTENTIA. *Acad.* IV. 47. ex ſui animi ſententia *jurare voluerunt*, hoc eſt, ita uti ſentiret, crederet rem eſſe. Hinc ille jocus. *Or.* II. 64. *ridicule illud L. Porcius Naſica cenſori Catoni, cum ille*: ex tui animi ſententia *tu uxorem habes? non hercule*, inquit, ex mei animi ſententia. Nam illud eſt, Reſponde ad id quod rogo, ut ſentis. Hoc: ex voto, uti vellem. *Piſ.* 32. *beneficiis alicujus ſuam* ſententiam *tradere*. Cluent. 53. *mens & animus, & conſilium, &* ſententia *civitatis poſita eſt in legibus*.

*Sententiam ferre* dicuntur proprie judices poſt legem tabellariam Caſſiam; deinde vero etiam ſenatores.

*Ad Fam.* XI. 21. *Sed tamen cum ego ſenſiſſem, de iis, qui exercitus haberent*, ſententias *fieri oportere*, eſt illorum rationem habere.

*Referre ſententiam* de ſenatore, *pro ferre*. Red. I. 10.

*Sententias dicere* de ſenatoribus notum eſt; ſed eſt etiam de Conſulibus. *Sext.* 32. *conſules cum in ſenatu privatim* ( id eſt, a ſenatoribus, qui magiſtratus non erant ) *ut de me* ſententias dicerent, *flagitarentur*, hoc eſt, ut de ſententiis, quas ipſi ſcilicet ſenatores, relationem egredientes, dixiſſent, ad ſenatum referrent.

SEQUESTER. Eſt interpres & internuncius, quo ad rem aliquam tranſigendam utimur, apud quem in corruptionibus judicum aut comitiorum pecuniæ deponitur. Itaque ſequeſter eſt in conviciis, pro corruptore, &c. *Cœl.* 7. *crimen* ſequeſtrium. *Planc.* 16. *cujus in tribus venditorem, corruptorem*, ſequeſtrem *Plancium fuiſſe clamitas*. Confer *Act.* 1. *Verr.* 12. *Cluent.* 8. *Verr.* II. 44. *is eſt C. Claudius, qui in Sicilia* ſequeſter *iſtius, interpres, confector negotiorum, prope collega Timarchidi numerabatur*.

SICCUS. Dicitur de ſano corpore, in quo nihil vitioſi humoris; quod non pituitoſum, non mucoſum, &c. Unde ad orationem ſubtilem traducitur, cujus maximum ornamentum eſt vitiorum abſentia. *Brut.* 55. *nihil erat in ejus oratione, niſi ſincerum, nihil niſi* ſiccum *atque ſanum*. Opt. gen. d. 3. *ſed quatenus valuerunt, ſani &* ſicci *tantum habeantur*.

Sobrius. *Agr.* I. 1. *ſicci* opponuntur *vinolentis: utrum eſſe vobis conſilia* ſiccorum, *an vinolentorum ſomnia videntur*;

SIMPLICITER. Clare, ut ab omnibus intelligi poſſit. *Or.* II. 16. *qui leges, qui jura, qui civitates conſtituerunt, locuti ſunt* ſimpliciter *& ſplendide*.

Sine diſſimulatione & tergiverſatione. *Or.* III. 17. ſimpliciter *defendere aliquid*.

Sine reſpectu ad hominum potentiam, gratiam, periculum, &c. *Red.* I. 10. *in ſententia* ſimpliciter *referenda*.

Sigillatim. *Inv.* II. 33. quædam *genera cauſarum* ſimpliciter *& ex ſua vi conſiderantur: quædam autem, ſi aliud aliquod controverſiæ genus aſſumunt*.

Per ſe. *Top.* 22. *cum autem, quale ſit, quæritur, aut* ſimpliciter *quæritur, aut comparate*.

SOCIUS. De publicanis ſimpliciter, & adjecto vectigalis nomine, quod redemerunt. *Planc.* 9. ſociis *unice diligebatur*. Ad Fam. XIII. 9. ſocii *Bithyniæ*. Ibid. 65. ſocii *ſcripturæ*.

*Arbitrium* pro ſocio, *Quint.* 3. eſt, in quo quis a ſocio ſibi injuriam & fraudem factam perſequitur. Hinc, *Flacc.* 18. pro ſocio *damnari*, cum quis fraudis in ſocium convincitur.

SODALIS. Eſt collega, non in quocunque collegio, nam *ſodalitas* a *collegio* diſerte diſtinguitur, *Brut.* 45. ſed in eo, quod ſacrorum cauſa in honorem alicujus dei conſtitutum eſt, cujus membra una epulantur, quales ſiunt ἑταιρεῖαι Græcorum. *Cœl.* 11. ſodalis *in Lupercis*. Seneсt. 13. *primum habui* ſodales *ſemper. Sodalitates autem me quæſtore conſtitutæ ſunt, ſacris Idæis Magnæ Matris acceptis. Epulabar igitur cum* ſodalibus *omnino modice*.

Verr. I. 37. *quæſtor* appellatur *ſodalis legati*. Or. II. 49. *quæſtor* appellatur *ſodalis Prætoris*.

Socius. *Verr.* I. 36. ſodalis *iſtius erat in hoc morbo & cupiditate*.

*Sodales* dicuntur etiam, qui coeunt, ut magiſtratum alicui injuſtis modis conficiant. *Cœl.* 7. *crimen* ſodalium.

SODALITAS. Collegium ſodalium. Sen. 13. ſodalitates *autem me quæſtore conſtitutæ ſunt*. Brut. 45. *homo ſumma nobilitate, cognatione*, ſodalitate, *collegio*.

Coitio. *Planc.* 15. *per hanc conſenſionem, quæ honeſte*, ſodalitas *nominaretur*.

Neceſſitudo inter quæſtorem & legatum. *Verr.* I. 37. *abs te officia* ſodalitatis *flagitet*.

SODALITIUM. Sodalitas, coitio. *Planc.* 15. *lex Licinia, quæ eſt de* ſodalitiis.

Convivium ſodalium. *Herenn.* IV. 51. *venit in ædes quaſdam, in quibus* ſodalitium *erat eodem die futurum*.

SOLISTIMUS. Div. I. 15. ad Fam. VI. 6. *tripudium* ſoliſtimum dicebatur in augurali diſciplina, cum pulli e cavea emiſſi ita avide paſcuntur, ut offa ex ore in terram cadat.

SOLVO. Ab alio ſolvere ſignificat, non ex arca ſua ſolvere, ſed per attributionem, delegationem, aut nummis alterius. *Cæcin.* 6. ſolvitur a *Cæſennia*. Ad Att. V. 21. *homines non modo non recuſare, ſed etiam hoc dicere*, ſe a me ſolvere. *Quod enim prætori dare conſueſſent, quoniam ego non acceperam, ſe a me quodammodo dare*.

Liberari ab obligatione aliqua. *Agr.* II. 36. ſolvi *legibus*. Opponitur: *teneri legibus*.

Refellere. *Fin.* I. 7. *qua via captioſa* ſolvantur.

Nautæ dicuntur *ſolvere*, cum ancoras tollunt, & navigant. *Ad Att.* I. 13. ſolvere *ancoras*. Mur. 2. *portu* ſolves. *Div.* I. 16. ſolvere *imperat*. Ad Fam. XVI. 9. *nos eo die cœnati* ſolvimus.

SOLUTUS. Liber, cui integrum eſt facere, quod velit. *Ad Fam.* I. 9. *omnia mihi* ſolutiſſima ſunt. Verr. II. 78. ſoluti *ad cauſas veniebant*. De patronis, qui nullam mercedem acceperunt ab iis, quorum cauſam receperunt, ut iis non ſit neceſſarium, quamvis manifeſta ſcelera defendere. *Mil.* 13. ſoluta *prætura*. Ad Att. II. 18. *cum videas voluntatem civitatis* ſolutam, *virtutem alligatam*.

*Agr.* III. 2. ſoluta *prædia*; opponuntur *obligatis*. Planc. 30. *ſolutus* opponitur ei, qui beneficiorum vinculis obſtrictus eſt. Dejot. 1. *ſolutus* opponitur ei, qui eſt in equuleo.

Remiſſus, negligens. *Catil.* II. 12. *mea lenitas* ſolutior *viſa eſt*.

Facilis. *Ad Fam.* VI. 7. ſolutum *putatur alterum laudare*.

Debilitatus, cui nervi exſecti ſunt. *Agr.* II. 33 *urbs* ſoluta.

De hominibus facetis, qui libere rident omnia. *Dom.* 39. *o rem, quam* ſoluti *homines ridere non deſinant!*

Abſolutus. *Mil.* 4. 4. *ſcelere* ſolutus.

In dicendo *ſolutus* eſt primo, qui facilem & volubilem linguam habet. *Brut.* 47. ſolutus *in explicandis ſententiis*. Ibid. *verbis* ſolutus *ſatis*. Ibid. 48. ſolutiſſimus *in dicendo*. Hinc, Orat. I. 25. *Solutio linguæ*, de facilitate & volubilitate in dicendo. Deinde in actione remiſſior, *Brut.* 62. *tam* ſolutus *& mollis in geſtu*, *&c.* Tertio qui verba apte collocare, quod vincire dicitur, neſcit. *Or.* 52. *verbis* ſolutis *numeros primus adjunxit*. Confer *Brut.* 79. *&c.*

SORTITIO. *Planc.* 22. Sortitio *ædilitia*, fit, cum competitores ædilitatis pares ſuffragiis ſunt. *Phil.* II. 33. ſortitio *prærogativæ*. Vide Prærogativa. *Ad Q. Fr.* II. 1. ſortitio *judicum*. Cluent. 46. *ut* ſortitione *in quoſdam animadverteretur*.

SPECIES. Top. 7. 7. *in diviſione formæ ſunt, quas Græci ἰδέας vocant, noſtri .... ſpecies appellant*.

Acad. I. 8. *mentem ſolam cenſebant idoneam cui crederetur, quia ſola cerneret id, quod ſemper eſſet, ſimplex & uniuſmodi, & tale, quale eſſet. Hanc illi* ideam *appellabant, jam a Platone ita nominatam: nos recte* ſpeciem *poſſumus dicere*. De hac ſpecie, confer *Or.* 2. 3.

Externus apparatus, ornatus, dignitas quæ in oculos cadit inprimis. *Agr.* II. 13. ſpecies *tyrannorum*. Or. I. 29. *hæc, quæ ſunt in* ſpecie *poſita, in te divina ſunt*; de dotibus oratoris externis corporis. *Or.* II. 72. *adhibere quandam in dicendo* ſpeciem *atque pompam*. Piſ. 11. *fuit pompa, fuit* ſpecies, *inceſſus ſaltem Seplaſia dignus*. Ibid. *magnum nomen eſt, magna* ſpecies, *magna dignitas, magna majeſtas conſulis*. Brut. 62. *magis* ſpecie *& motu, atque ipſo amictu capiebat homines, quam dicendi copia*.

Opinio orta ex eo, quod eſſe videtur tale, quale non eſt. *Marc.* 6. ſpecie *reipubl. lapſi*. Tuſc. II. 23. *doloris* ſpeciem *ferre non poſſunt*.

Sed dicitur etiam ſæpiſſime de eo ipſo, quod videtur eſſe tale, quale non eſt. *Nat. D.* I. 2. ſpecies *fictæ ſimulationis*. Planc. 12. *ſigna probitatis non fucata forenſi* ſpecie.

Tuſc. IV. 14. Or. III. 25. *prima* ſpecie. Quod vulgo dicimus: *primo adſpectu*.

Simulacrum. *Div.* I. 12. ſpecies *ex ære vetus*. Ibid. 36. *hanc* ſpeciem *Praxiteles cælavit argento*.

SPECTIO. Eſt verbum Augurum & Conſulum & reliquorum magiſtratuum, cum in auſpicio ſunt.

SPIRITUS. Aer. *Catil.* I. 6. ſpiritus *cæli*.

Succus quidam in ventriculo, qui concoctionem adjuvat. *Nat. D.* II. 54. *ut* ſpiritu *omnia cocta atque confecta in reliquum corpus dividantur*.

Contentio, animoſitas. *Verr.* I. 30. *quid ego nunc in alteram actionem Cn. Dolabellæ* ſpiritus, *quid hujus lacrymas & concurſiones proferam?*

Superbia, inſolentia. *Verr.* III. 9. *illos ejus* ſpiritus *Sicilienſes quos fuiſſe putetis?* Syll. 9. ſpiritus *attulerunt res geſtæ*. Flacc. 22. *remittere* ſpiritus.

SPONDERE. Proprie eſt *dicere*, ut ex compoſito *reſpondere* intelligitur, deinde in ſtipulationibus ſignificat: *promittere*. Nam qui ſtipulatur, interrogat: *ſpondeſne* videlicet hanc pecuniam ſolutum iri, decem dotis proximo anno dare? alter reſpondet: *Spondeo*, hoc eſt, promitto. *Roſc. Com.* 4. *ſtipulatus es? ubi? quo die? quo tempore? quo præſente? quis* ſpopondiſſe *me dicit? nemo*. Verr. V. 54. *ut aliquando* ſpondere *ſe diceret*, ſcilicet, is qui juſſus erat H-S duobus millibus ſponſionem facere cum lictore ſuo, ni furtis quæſtum faceret.

*Spondere pro aliquo*, eſt fidem ſuam interponere pro aliquo in re pecuniaria. Nam ſi quis pecuniam mutuam petebat, cui tuto credi non poſſe videbatur, petebat creditor ab eo, ut aliquem daret, qui ſolutum iri promitteret, hoc eſt, *ſponderet*. Ad Att. XII. 14. *ſcire velim quando dicat* ſpopondiſſe, *& pro patre anne, pro filio*. Ibid. 17. *pro Cornificio abhinc amplius annis* XXV. ſpopondiſti. *Ad Brut. ep.* 18. *magis enim illum, pro quo* ſpopondi, *quam me obligavi, &c.*

SPONSIO. Eſt proprie promiſſio ejus rei, quam alter ſtipulatur. *Vide* Spondere. In controverſiis privatis, ne calumniis impune quiſquam alterum vexaret, aut ſolebat certam pecuniam deponere petitor, quæ *ſacramentum* dicebatur, de quo ſupra; aut tantum ſpondebat, ſe aliquam pecuniæ ſummam daturum, ni vinceret, ſtipulante eo, unde petebatur. Cum autem ſpopondiſſet petitor, idem ſtipulabatur ab eo, unde petebatur, & hic eodem modo ſpondebat. Et hinc dicebatur is, qui litem intendebat, *ſponſionem facere*. Quint. 8. 27. Verr. III. 62. Cæcin. 8. Roſc. Com. 4. 5. Off. III. 19. Et *ſponſio* dicitur pro cauſa, quæ agitur, ſive judicio, quod intenditur, agitur, ſponſione interpoſita, ſive actione, quæ fit ſponſione interpoſita. *Cæc.* 16. ſponſionem *optime facere poſſe*, dicitur, de eo, qui juſtam cauſam habet. Hinc & aliæ formulæ. *Verr.* III. 57. ſponſione *laceſſere*. Cæcin. 32. ſponſione *certare*. Ibid. 31. *condemnari* ſponſionis. *Quint.* 27. ſponſione *vincere*. Cæcin. 31. ſponſionem *vincere*.

Leg. II. 16. *Voti* ſponſio, *qua obligamur Deo*.

SPONSUM. Idem ac *ſponſio*. Quint. 9. *ex ſponſo* egit.

STARE. In re militari ſignificat primo ſimpliciter, in acie eſſe, unde formulæ: *cum aliquo ſtare, a partibus alicujus ſtare, &c.* ducuntur; *Brut.* 79. *nemo* contra *civium perditorum popularem turbulentamque dementiam* a *ſenatu & a bonorum cauſa* ſtetit *conſtantius*. Sed etiam manere in acie, opponiturque τῷ *fugere*. Tuſc. II. 23. *ut enim ſit in prælio, ut ignavus miles ac timidus ... abjecto ſcuto fugiat ... ob eamque cauſam pereat nonnunquam etiam integro corpore, cum ei, qui* ſteterit, *nihil tale evenerit*.

*Stare* porro dicuntur, qui locum in republica, dignitatem, fortunas obtinent & tuentur. *Ad Fam.* VII. 2. *eorum auxilio, qui me* ſtante, ſtare *non poterant*.

Item, qui conſtantes ſunt in re aliqua, qui a ſententia ſuſcepta, promiſſis, &c. non recedunt. *Ad Att.* VII. 15. *omnes cupiebant Cæſarem* ſtare *conditionibus iis, quas tuliſſet*. Ad Fam. IX. 2. *modo nobis* ſtet *iſtud, una vivere in ſtudiis*. Ad Att. II. 4. *ſi in eo non* ſtat.

*Stare* dicitur, quod decretum eſt & conſtitutum. *Ad Att.* III. 13. *neque adhuc* ſtabat, *qui potiſſimum, &c.*

*Stare* etiam ii dicuntur, qui habent unde vivant, vitam tranſigant. *Flacc.* 6. *qui domi* ſtare *non poterant, largo ac liberali viatico commoveret*.

Fin. II. 10. *voluptas* ſtans *& movens*. Quid ſit. *Vide* ibid. 23.

*Stare* etiam eſt pro *dicere*, quia ſtantes dicebant. *Har. R.* 4. *cum mihi* ſtanti *minaretur*. Marcell. 11. *non eſt* ſtantibus *neceſſe omnibus dicere*. Or. 63. *me* ſtante, *&c.* Hinc illud intellige, *Ad. Fam.* I. 4. *cum in ſenatu pulcherrime* ſtaremus, *quod jam illam ſententiam Bibuli fregeramus, &c.*

STATARIUS. Eſt actor, qui ſedatius agit, neque in ſcena diſcurrit, unde ipſæ fabulæ *ſtatariæ* dicuntur, quæ ſedatiores ſunt, quibus opponuntur *motoriæ*, in quibus multa negotia, curſus, &c. Hinc ad oratorem transfertur, qui minus vehementer dicit & agit. *Brut.* 30. 68.

STATUS. Subſt. apud rhetores quid ſit. *Vide* Top. 24.

*Status* in re gladiatoria idem eſt, qui *gradus*; unde hæ formulæ: *Or.* 35. *dejicere de* ſtatu *adverſarios*, hoc eſt, vincere adverſarios. *Cæcin.* 15. *vis, quæ formidine animum perterritum loco ſæpe & certo de* ſtatu *demovet*, hoc eſt, ita perturbat, ut propoſitum perſequi, & conſtantiam retinere non poſſit. *Cluent.* 38. *de* ſtatu *ſuo declinare*, hoc eſt, conſtantia. *Verr.* II. 4. *deducerent de vitæ meæ* ſtatu, hoc eſt, de vitæ ratione, quam inieram, & in qua permanere decreveram, nempe ut defenderem reos, non accuſarem quenquam. *Dom.* 18. ſtatus (reip.) *converſio*. Et quoniam e ſtatu maxime ſpectantur gladiatores, iique & milites, quamdiu ſtatum obtinent, tamdiu ſalvi ſunt; propterea ſtatus dicitur de commoda rerum conditione & ſalute. *Sext.* 1. *offerre ſalutem in diſcrimen pro* ſtatu civitatis. *Syll.* 22. ſtatus reip. *maxime judicatis rebus continetur*. Tuſc. III. 8. *& quemadmodum oculus conturbatus ... & reliquæ partes totumve corpus* ſtatu *cum eſt motum, deeſt officio ſuo & muneri*.

Dicitur tamen etiam *ſtatus* pro conditione & ratione alicujus rei ſimpliciter. *Ad Fam.* IX. *ſed hoc viderint ii, qui nulla ſibi ſubſidia ad omnes* vitæ ſtatus (nempe & ſecundos & adverſos) *paraverunt*. Porro, quoniam in ſtatu militum ineſt firmitas & conſtantia, propterea *ſtatus* opponitur & *interitus*. Fin. III. 5.

Agr. I. 1. *urbes pacatæ, agri ſociorum*, regum ſtatus *decemviris donabantur*.

Eſt etiam verbum juris, quo conditio hominum civilis ſignificatur ratione libertatis, utrum nempe aliquis ſervus an liber, porro liber utrum ingenuus an libertinus, libertini denique utrum cives Romani, an Latini, an dedititii, de quo eſt in Digeſtis *de ſtatu hominum*. Sed ſignificat apud Ciceronem etiam conditionem civilem hanc, qua quis eſt aut plebejus aut patricius. *Leg.* I. 7. *quod in civitatibus ratione quadam de qua dicetur agnationibus familiarum diſtinguuntur* ſtatus, *&c.* Nam omnes agnati ſunt ejuſdem familiæ, adeoque etiam omnes aut plebeji aut patricii. Verbi cauſa, in gente Claudia agnationibus diſtinguuntur familiarum ſtatus ita, ut omnes Marcellorum agnati ſint plebeji, quod ea familia plebeja eſt: omnes autem Appiorum & Pulchrorum agnati patricii, quia hæc familia patricia eſt. Itaque in gentibus in plures familias diſtributis, eaſque & plebejas & patricias, cum primum ſcio, cujus ſit agnatus, intelligo patriciuſne ſit, an plebejus.

STIPULARI. Eſt interrogare alterum ſolemni formula, an velit nobis aliquid polliceri, præſtare, &c. verbi cauſa, *Spondeſne te*, &c. Reſpondet ergo τῷ *ſpondere*. Qui interrogat, poſtulat, *ſtipulatur*: qui reſpondet, pollicetur, jubet &c. *ſpondet*. Vide Spondeo. *Roſc. Com.* 4. *reliquum eſt, ut* ſtipulatum *ſe* eſſe dicat ... ſtipulatus es? *ubi? quo præſente?* Confer *ſtipulatio*.

STIPULATIO. Eſt interrogatio ex formula ſolemni, qua poſtulamus aliquem ſpondere, fidejubere, polliceri, dare, &c. quam ubi ſecuta eſt ſponſio, fidejuſſio, &c. obligatio oritur. *Roſc. Com.* 12. *cur tam imperite facit, ut nec Roſcium* ſtipulatione *alliget, &c.* Cæcin. 18. ſtipulationes *infirmare aut convellere*. Ad Att. XVI. 11. *etſi* ſtipulationes *nondum legeram*. Leg. II. 21. *ut ea pecunia ex* ſtipulatione *debeatur*.

SUBROGARE. Conſulem aut alium magiſtratum in locum mortui rogare. Eſt magiſtratus habentis comitia; populus autem *ſufficit*. Brut. ep. 5. *ſtatim Panſa collegam ſibi* ſubrogaſſet.

SUBSCRIBERE. Proprie eſt, ſcribere infra. *Ad Att.* IX. 13. *Cæſar mihi literas miſit, quarum exemplum* ſubſcripſi.

De accuſatore; quod in deferendo nomine alicujus ſuum quoque nomen & cauſam accuſationis ſubſcriberet. *Inv.* II. 19. *cum veneficii nomen eſſet delatum, & parricidii cauſa* ſubſcripta ... *quoniam id cauſæ* ſubſcriptum eſſet.

Eſt deinde accuſatoris ſecundarii. *Ad Att.* II. 24. in *aliquem* ſubſcribere. *Ad Q. Fr.* III. 3. *Gabinium reum de ambitu fecit P. Sylla*, ſubſcribente *privigno Memmio*.

Cenſores etiam *ſubſcribere* dicuntur, cum in tabulis cenſoriis ſub nomine alicujus ſcribunt, qua de cauſa notatus a ſe ſit. *Div.* I. 16. *Cenſor C. Atejum ementitum auſpicia* ſubſcripſerit. *Cluent.* 42. *Video cenſores animadvertiſſe in judices quoſdam illius conſilii Juniani, cum iſtam ipſam cauſam* ſubſcriberent.

Dicitur etiam de iis, qui nomen ſuum apud aliquem deferunt, profitentur, & in tabulis ſcribunt. *Verr.* III. 51. *Numerus oratorum quotannis apud magiſtratus* ſubſcribitur.

SUBSCRIPTIO. De accuſatore ſecundarum partium. *In Cæcil.* 15. *qui* ſubſcriptionem *ſibi poſtularunt, cuicunque nominis delationem dediſſetis*.

De

De cenſoriis notis. *Cluent.* 47. ſubſcriptione *notare*. Ibid. 43. ſubſcriptiones *cenſorias delere*.

De aratoribus. *Verr.* III. 47. *jugerum* ſubſcriptio *ac profeſſio*.

SUBSCRIPTOR. Accuſator ſecundarius, ſive accuſatoris adjutor, a ſubſcribendo dictus, quia, cum accuſator nomen rei defert, nomen ſuum quoque ſubſcribit. *In Cæcil.* 15. *at venit paratus, cum* ſubſcriptoribus *exercitatis & diſertis*. Ad Fam. VIII. 8. *itaque ſine ullo* ſubſcriptore *deſcendit, & Tuccium reum fecit*.

Qui alicui aſſentitur, morem gerit. *Dom.* 19. *venalis adſcriptor &* ſubſcriptor *tuus*.

SUBSIGNARE. Subſcribere. *Flacc.* 32. *illud quæro, ſintne iſta prædia cenſui cenſendo: habeant jus civile: ſint necne ſint mancipi*: ſubſignari *apud ærarium, apud cenſorem poſſint*. Nempe ſubſignari prædia dicuntur, cum in cenum deferuntur, *hoc eſt*, ſub nomine civis Romani in tabulis cenſoris ſcribuntur.

SUBSORTITIO. Eſt altera ſortitio judicum, qua ſcilicet ſupplentur judices poſt priorem prætoris aut judicis quæſtionis ſortitionem rejecti ab accuſatore & reo. *Verr.* I. 61. *nam* de ſubſortitione *illa Juniana judicum nihil dico*.

Catalogus judicum ſubſortitione delectorum. *Cluent.* 33. *quod Verres* ſubſortitionem *ejus in eo codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur*.

SUFFRAGARI. Laudare, favere. *Leg.* I. 1. *videtis fratrem laudando* ſuffragari *tibi*. Ad Fam. XII. 17. ſuffragari *libro*. Dom. 10. *ſi ejus dignitati* ſuffragatus *viderer*. Ad Fam. XII. 14. ſuffragari *laudi alicujus*.

Inprimis autem in petitionibus magiſtratuum ſuffragari dicuntur, qui candidatos gratia ſua in petitione juvant. *Muren.* 34. *ſi nihil erit, præter ipſorum ſuffragium, tenue eſt: ſi, ut* ſuffragantur, *nihil valent gratia*. Off. I. 39. *domus* ſuffragata *eſt domino, homini novo*. Syll. 24. *cum Catilinæ* ſuffragaretur. *Planc.* 1. *memoriam meorum temporum ei* ſuffragari *videbam*.

Cum de legibus dicitur, eſt ſuadere. *Verr.* V. 69. *legi* ſuffragari, opponitur τῷ *adverſari*.

Hinc pro *juvare*. In Cæcil. 7. *Hortenſius tibi* ſuffragatur. *Ad Brut. ep.* 10. *nec deſtiti accuſare ejus neceſſarios, qui ejus cupiditati* ſuffragarentur. *Ad Fam.* XII. 14. *natura* ſuffragante *videris res maximas conſecutus*.

SUMERE. In re pecuniaria eſt verſuram facere. *Ad Att.* XIII. 6. *quam pecuniam tutor* ſumpſerat *in Achaja*.

Suſcipere. *Vatin.* 11. ſumere *inimicitias*. Ad Att. V. 1. *ex ratione* ſumpta *offenſio*.

Præmiſſæ ſyllogiſmi dicuntur *ſumi*. Fin. III. 8. *quod efficiebatur ex duobus, quæ* erant ſumpta.

SUMMA. *Rabir. Poſt.* 4. ſumma *litium*; de æſtimatione litis, de qua ſupra.

Tuſc. III. 23. *hæc oratio de ipſa* ſumma *mali nihil detrahit*.

Ad Att. XV. 1. *ad* ſummam, *hoc eſt*, ut brevi me expediam.

Id, quo tota res redit, quo tota continetur, quemadmodum in rationibus ſumma omnia nomina continet. *Ad Fam.* X. 25. *cujus ſententiæ hæc eſt* ſumma. *Ibid.* VI. 7. *cujus* ſumma *eſt criminis, quod armatus adverſario maledixi*. Ad Att. X. 5. *ſermo eandem fere habuit* ſummam.

*Summa reipublicæ* eſt res, a qua ſalus univerſæ reipublicæ pendet. *Verr.* II. 10. *pertinet hoc ad* ſummam reipublicæ. *Catil.* III. 6. *conſului ſenatum, de* ſumma reipublicæ *quid fieri placeret*.

*Summa rerum* dicitur de ſummo imperio in republica. *Roſc. Am.* 32. *dum is in aliis rebus erat occupatus, qui* ſummam rerum *adminiſtrabat*.

*Summa philoſophiæ* eſt univerſa philoſophia, aut quod eſt in philoſophia præcipuum. *Fin.* II. 27. *quoniam omnis* ſumma philoſophiæ *ad beate vivendum refertur, idque unum expetentes homines ſe ad hoc ſtudium contulerunt*.

Sic *ſumma hominis* eſt quod in homine principatum obtinet. *Fin.* V. 14. in homine *autem* ſumma *omnis animi* eſt, *& in animo, rationis*. Item *de Fin.* II. 31. *quanquam ea epiſtola cum* ſumma ejus philoſophi *nullo modo congruebat*, hoc eſt, cum præcipua ejus ſententia, quæ & in ipſa philoſophia univerſa principatum tenet, nempe cum ſententia ejus de ſummo bono.

Ad Q. Fr. III. 5. *In omni* ſumma, *ut mones, valde me ad otium pacemque converto*, hoc eſt, in omni re hoc ſummum duco, hoc inprimis ago, uti me ad pacem convertam.

SUMMUS. *Arch.* 8. ſummi *homines*, de eruditis.

*Omnia ſumma facere* eſt facere quantum poſſis. *Ad Att.* XV. 13. *ſeſe de attributione* omnia ſumma *feciſſe*. Or. II. 20. *ſin videbitur, cum* omnia ſumma *fecerit, tamen ad mediocres oratores eſſe venturus*.

Inprimis autem eleganter jungitur *ſummus* ſubſtantivis ita, ut ſignificetur id, a quo tota res, quæ ſubſtantivo indicatur, pendet. *Inv.* I. 14. *ex hac deductione rationis illa* ſumma *naſcitur* controverſia, *quam judicationem appellamus*: nempe judicatio totam cauſam continet. *Verr.* I. 15. ſummæ *rei* cauſæque *nocere*.

Dom. 2. ſumma *religio*, eſt res, a qua omnis religio pendet. *Ad Att.* I. 1. *Cæcin.* 2. ſumma *exiſtimatio*. Ad Fam. X 8. *cura* reipublicæ ſummæ *defendendæ*. Confer *ad Fam.* XI. 13. *Roſc. Am.* 51. nempe *ſumma reſpublica* eſt ſalus univerſæ reipublicæ, & id a quo ea pendet. *Catil.* I. 5. ſumma ſalus *periclitatur*. Confer *Catil.* IV. 10. *Act.* I. *in Verr.* 1. ſummum *reipublicæ* tempus, eſt, quo omnis reipublicæ ſalus in periculo eſt.

*Summum jus*. Vide JUS.

SUPPLICATIO. Eſt ſolemne plurium dierum ex ſenatus-conſulto, quo diis gratiæ aguntur ob res in bello feliciter geſtas. Ciceroni tamen hoc contigit uni, ut propter rem domi geſtam ſupplicatio ei decerneretur. *Catil.* IV. 10. Sed ſunt etiam ſupplicationes funerum. *Vatin.* 12. *Philipp.* I. 6.

SYNGRAPHA. Literæ, quibus creditor ſibi cavet a debitore, ut poſſit probare, ſibi pecuniam ab eo deberi, ſi forte inficiari velit, eæque a teſtibus obſignatæ in templis, aut apud amicum communem, aut apud argentarium, aut aliam publicam perſonam deponuntur, exemplis earum creditori & debitori datis. *Verr.* I. 36. *pecunias occuparat apud populos, &* ſyngraphas *fecerat*: de creditore. *Dom.* 50. *ſi tuus ſcriptor non* ſyngraphas *cum Byzantiis exulibus & legatis regiis faceret*, Nempe ejus pecuniæ, quam pollicebantur dare. Sic *Har. Reſp.* 16. *qui cum Hermacho Chio* ſyngraphas *fecit, &c.* Ad Fam. VII. 17. *tanquam* ſyngrapham *ad Imperatorem attuliſſes ... ſic pecunia ablata domum redire properabas*. Har. Reſp. 13. *unde tibi ſolvat, quod per* ſyngrapham *credidiſti*. Mur. 17. *tanquam ex* ſyngrapha *agere cum populo*, hoc eſt, tanquam debitum poſtulare, quemadmodum pecunia debita ex ſyngrapha poſtulatur.

*Ad Att.* V. 21. *ex* ſyngrapha *jus dici cum lex Gabinia vetaret*. Nempe ex ſyngrapha jus dicit Prætor, cum decernit ſolvendam eſſe pecuniam, quæ per ſyngrapham credita ſit.

## T.

TABELLA. *Tabula* cera inducta, in qua ſcribitur. Sic eſt pro epiſtola, *Catil.* III. 5. tabellas *proferri juſſimus, quæ a quoque dicebantur datæ*; unde etiam *tabellarii* dicuntur. Item pro *ſyngrapha*, vel alio inſtrumento quod fidei faciendæ cauſa fit. *Tuſc.* V. 11. tabellis *obſignatis agis mecum, & teſtificaris, quid dixerim*. Confer *Quint.* 6.

Sunt etiam tabellæ, quibus in comitiis ſuffragia, in judiciis ſententiæ feruntur, unde *Leges tabellariæ* dictæ ſunt.

TABERNACULUM. Itineris cauſa tabernacula comparantur, ut, ubi diverſorium non eſt, aut urbs attingi non poteſt, &c. in via noctu in iis manere poſſint, qui mos eſt antiquiſſimus, unde tabernacula publice Romæ dabantur legatis, magiſtratibus in provincias ituris. *Ad Att.* V. 16. *multis locis ne tectum quidem accipio, & in* tabernaculo *maneo plerumque*. Agrar. II. 13. *deinde ornat Decemviros* tabernaculis, *centuriis, ſupellectili*.

In caſtris etiam ſolent, ut notum eſt, milites in tabernaculis eſſe, unde elegans illud in *Brut.* 9. de Demetrio Phalereo: *proceſſit enim non ut a militari* tabernaculo, *ſed ut e Theophraſti umbraculis*, hoc eſt, non in cauſis forenſibus verſatus eſt, de quibus etiam *pulvis & ſol* dicitur, ſed in philoſophorum ſubtili ratione & leni.

*Tabernaculum* porro eſt etiam auſpicantium ante urbem noctu in templo. *Div.* I. 17. *cum* tabernaculum *vitio cepiſſet imprudens*. Ibid. II. 35. tabernaculum *recte captum*. Hoc quale ſit, oſtenditur Div. I. 17. *quod inauſpicato pomærium tranſgreſſus eſſet Conſul*.

Or. III. 20. *collocare* tabernaculum *vitæ ſuæ in philoſophia*.

TABULA. Omne genus inſtrumenti, ſive ex ære facti, ſive cerati, in quo aliquid ſcribitur. *Tabulas* ergo Cicero dicit. 1. Codices acceptorum & expenſorum. *Roſc. Com.* 1. *qui in ſuo judicio* tabulis *ſuis teſtibus uti conatur*. Verr. II. 7. *multorum* tabulis *vobis ſatisfactum eſt*. Ibid. 74. 76. & ſic eſt pluribus locis. Sic cape in Verrinis, ubi a literis diſtinguuntur, verbi cauſa, *Verr.* II. 74. & 76. dicuntur *tabulæ ſocietatis* honeſte removeri non potuiſſe; *literas autem*, hoc eſt, parvos rationum libellos, potuiſſe, & remotas eſſe. Etiam Codices rationum publicatum dicuntur *tabulæ publicæ*. Verr. I. 21. Roſc. Am. 44.

Hinc 2. *tabulæ novæ* dicuntur cum nomina in tabulis expenſorum mutantur, *hoc eſt*, aut plane delentur, ut creditores debitoribus omne debitum condonent, aut pars de ſumma demitur; quod publica auctoritate interdum factum eſt: ut cum, ut eſt apud Salluſt. Catil. 33. argentum ære ſolvi juberetur, *hoc eſt*, ſeſtertii pro denariis, quarta pars debiti, quinque & viginti pro centenis; quod cum eſſet juſſum, omnes omnium tabulæ mutandæ & aliter ſcribendæ erant. *Tabulæ novæ* apud Ciceronem ſæpe commemorantur. Vide Catil. II. 8. Phil. VI. 4. ad Att. V. 21. *Ibid.* XIV. 21. *maxime autem expecto, ecquid Dolabella tinniat* (hoc eſt ſolvat) *an in meo nomine* tabulas novas *fecerit*, hoc eſt, ſolvere nolit, quod debet.

3. *Tabulæ* etiam ſunt ſuffragia ferentium. *Piſ.* 15.

4. Codices in quibus memoria rerum publice, tanquam in cenſu, judiciis, actarum perſcribitur, & omne genus Codicis cerati. II. 42. *ut* tabulas *publicas corrumpere auderes*. Sermo eſt de codice, in quo ſcripta erant nomina de crimine delatorum, cujuſmodi codicis mentio etiam *Cluent.* 33.

5. Senatus-conſulta, leges, &c. in ære ſcriptæ, item pactiones, ſyngraphæ, &c. *Phil.* I. 1. *ne qua* tabula *ullius decreti Cæſaris figeretur*. Or. I. 13. Phil. II. 36. *toto Capitolio* tabulæ *figebantur*.

6. Roſc. Am. 9. *de* tabulis *eximere nomen*. Intellige, proſcriptorum.

7. Geographica deſcriptio, quæ & Græce πίναξ dicitur *Ad Att.* VI. 2. *Dicæarchi* tabulæ.

8. *Tabula* eſt etiam argentariorum menſa. *Cæcin.* 6. *adeſt ad* tabulam: *licetur Æbutius*. Confer *ad Att.* XII. 40. XIII. 25. Nam auctiones privatæ fere ad tabulam argentarii fiebant, ut pretia rerum in argentariorum tabulas referri poſſent. Sic commemoratur *Vatin.* 9. tabula *Valeria*, ad quam ſedere ſolebant tribuni plebis, ut viderent quid in concione ageretur, ut eſſent præſentes, ſi quis eorum auxilio indigeret. *Quint.* 6. *ſuos neceſſarios corrogat, ut ad* tabulam Sextiam *ſibi adſint: veniunt frequentes: teſtificatur iſte P. Quintium non ſtitiſſe*. Intellige, vadimonium. Nam vadimonia obiri, ſyngraphæ fieri, aliaque ejuſmodi ad tabulam argentarii alicujus ſolebant, in quibus ſcilicet rebus teſtibus opus, quos ibi facile reperire poterant.

TABULARIUM. Locus in quo tabulæ publicæ ſervantur. *Rabir. Perd.* 3. *Arch.* 4.

TANTUM. Formula, *tantum quod*, duobus modis

modis dicitur. Ac primo pro *vix*, *modo*. *Ad Fam.* VII. 23. tantum quod *ex Arpinati veneram*.

2. Hoc unum tantum deerat, quod, *&c.* nihil deerat niſi. *Verr.* I. 45. tantum quod *hominem non nominat*. Verr. III. 53. *tantum quod Metellus*, &c.

TEMPESTIVUS. Opportunus. *Tuſc.* I. 45. *multa mihi ad mortem* tempeſtiva *fuere; quæ utinam potuiſſem obire*.

Convivium tempeſtivum. *Mur. 6. Senect.* 14. *Arch. 6.* quod ante tempus ſolitum initur: convivium de die: item, quod in multam noctem producitur.

TEMPUS. Eleganter & crebro dicitur de ſtatu cujuſque & conditione, qua certo tempore ſumus aut fuimus, aut erimus, & quidem in utramque partem. *Ad Q. Fr.* I. 15. *Si quem forte* (provincialem hominem) *cognoſti amantiorem tui*, *quam* temporis, *hoc eſt*, Præturæ: ſi quem vides tui amantem videri velle, idque tua cauſa potius, quam quia jam es Prætor. *Ad Fam.* X. 1. *quæ ſi ad tuum* tempus *deducitur*, hoc eſt, ad conſulatum tuum. *In Cæcil.* 2. tempus *neceſſariorum meorum*, de Siculis magna multiplicique injuria affectis, & Verrem accuſare inſtituentibus. *Arch. 6. ab nullius unquam me* tempore *aut commodo*, *aut otium meum abſtraxit*, *&c.* De reis: quo ſenſu eſt ſæpiſſime apud Ciceronem, pro quo etiam dicit *periculum*, de quo ſupra. *Manil.* 1. *omne meum tempus amicorum* temporibus *tranſmittendum putavi ... meus labor in privatorum* periculis *caſte integreque verſatus*. Verr. III. 61. Utrumque jungitur: *ex* tempore periculi *tui conſtitutum crimen*. ad Fam. I. 9. *ſcripſi tres libros verſibus de* temporibus *meis*, hoc eſt, de utraque fortuna, conſulatu & exilio. Et exilium quidem ſuum totumque illum caſum & periculum a Clodio ſæpe *tempus* ſuum poſtulat, *verbi cauſa* Sext. 58. tempori meo *defuerunt*, *&c.* Ad Fam. VI. 6. *magna* temporum *noſtrorum varietas*. ibid. *Rerum hoc natura & temporum civilium ratio non patietur*. Nempe *tempora civilia* ſunt ſtatus & converſiones civitatum.

Dicitur etiam de tempore, quo quid actum eſt, aut agitur, aut agendum eſt, & de re quæ tempore quodam acta eſt. *Ad Fam.* I. 7. tempus *Caninianum*. *Dom.* 51. tempus *illud erat tranquillum*, *&c.* tuum *porro* tempus *libertate populi Romani oppreſſa*, *Senatus auctoritate deleta*. pro: quo tu tempore ſignum Concordiæ dedicare volebas. *Ligar.* 2. *hæc duo* tempora *carent crimine*, *&c.*

Opportunitas temporis. *Roſc. Am.* 10. tempore *pugnare*. Unde pro tempore opportuno dicitur. *Ad Q. Fr.* I. 2. *ſed* tempore *ipſo de epiſtolis*.

*Ad tempus* eſt, quia tempus poſtulat. *Planc.* 30. *ne proferre videar* ad tempus. Confer *ad Fam.* X. 9. *Cæl.* 6.

Eodem ſenſu dicitur etiam *ex tempore*. Verr. III. 20. ex tempore *naſcebantur edicta*. Ibid. 71. *nihil* ex tempore *dicit*. Flacc. 15. *ſolere ſuos cives*, *cæteroſque Græcos* ex tempore, *quod opus ſit*, *obſignare*, *dixit*. Quod ibidem etiam dicitur: *temporis cauſa*.

Aliter autem eſt hæc forma, *ad Att.* X. 1. ex tempore *futura cenſes*; nempe pro: ex præſenti tempore.

TENERE. Tangere. *Har. Reſp.* 11. *terram* tenere *non potuit*.

Suſtinere, ne labatur res & intereat. *Or.* III. 45. *terra* tenetur *nutu ſuo*. Nat. D. II. 53. *vita tribus rebus* tenetur.

In poteſtate ſua habere, regere. *Sext.* 19. tenere *rempublicam*. Unde *qui tenent*, dicitur, omiſſo reipublicæ verbo. *Ad Att.* II. 18. VII. 12. *Mur.* 29. *totam rempublicam in hac cauſa* tenetis *& gubernatis*. Ad Fam. XI. 16. *cum equitum centurias* teneas, *in quibus regnas*. Ad Att. X. 11. *ego meum facile* teneo.

Continere, reprimere. *De Fin.* II. 7. tenere *ſe non potuit*. Acad. IV. 4. Verr. III. 1. tenere *cupiditates*.

Conſequi, quod velis, conficere rem. *Ad Fam.* I. 1. *res aliter* teneri *non poteſt*. Sext. 32. *res jam manibus* tenetur. *Agr.* II. 17. *qui per curſum rectum regnum* tenere *non potuerunt*. Sumpta a navigatione formula, in qua nautæ dicuntur *portum* tenere. *ad Fam.* I. 9.

Aſſequi, intelligere. *Sext.* 10. *reconditos ſenſus alicujus* tenere.

Uti. *Tuſc.* IV. 3. *quia nihil prolatum erat melius*, *id*, *quod erat*, tenebant. *Flacc.* 23. *jam id videro*; *ſed primum illud* tenebo.

Retinere, obtinere, tueri. *Muren.* 28. tenebatur *opera illius imperium*. Ad Att. XIII. 48. tenere *hereditatem*. Verr. III. 75. tenere *pecuniam public.* ibid. 73. *quod pretium conſtituiſſet*, *id civitatibus auferre*: *quod a populo Romano accepiſſet*, tenere. *Act.* I. *Verr.* 8. *ſed nos non* tenebimus *judicia diutius*. Ad Q. Fr. II. 6. *vix* tenebat, ſcilicet, familiam gladiatorum, quia alere non poterat.

Quemadmodum *retineri* dicuntur homines in legendo, audiendo, &c. ſic *tenere* etiam quæ delectant, & faciunt, ut audire, legere, videre, &c. velimus. *Or.* 62. teneri *ab oratore*. Cœl. 11. *ingenio alicujus* teneri, *hoc eſt*, audire aliquem libenter, quod ingenioſe dicit. *Ad Fam.* VII. 20. *a quo etiam advenæ* teneri *ſolent*.

Retinere, morari. *Ad Fam.* X. 31. tenuit *tabellarios*. Ad Q. Fr. II. 1. *ſe ſenatum negavit* tenere. *Ad Fam.* XI. 16. *non* tenebo *te pluribus*. Verr. I. 13. *ne diutius* teneam.

Reticere. *Or.* II. 54. *ea*, *quæ occurrant*, *cum ſalſiſſime dici poſſint*, tenere.

Capere, captum tenere in re aliqua, ut ſe expedire non poſſit. *Quint.* 20. *hic te*, *inquit*, teneo. Formula, qua utimur, cum quis dixit aliquid, quo convinci res, de qua agitur poteſt. *Nat. D.* I. 26. *in Nauſiphane* tenetur, *hoc eſt*, ſe explicare non poteſt, ut dicat, eum a ſe non auditum.

*Teneri* dicuntur, quæ deprehenduntur & qui in re aliqua, crimine, deprehenduntur; qui quoniam rem negare non poſſunt, atque adeo convicti ſunt, propterea *teneri* dicuntur, qui con-



convicti ſunt alicujus criminis, & ſe expedire non poſſunt. *Verr.* II. 40. teneri *in maleficio*. Cæcin. 2. *facile* tenerentur *teſtibus*. ibid. I. 1. *manifeſto* tenetur. *Flacc.* 16. *in minimis rebus ſæpe res magnas vidi deprehendi ac* teneri. *Cluent.* 30. *tenentur uno in loco H-S.* IↃCXL. tenentur *apud judicem*. Ibid. 44. *argumento crimen* tenetur. *Nat. D.* III. 30. *dolus* tenetur *tum*, *&c.*

Vincere, cauſam obtinere. *Ad Att.* XII. 14. *tam claram tamque teſtatam rem non* tenebimus. *Acad.* IV. 30. *ſi recte concluſerit*, teneo: *ſin vitioſe*, *minam Diogenes reddet*.

*Teneri* dicuntur, etiam, quibus lege, jurejurando, pacto aut alia hujuſmodi re neceſſitas eſt impoſita alicujus rei aut faciendæ aut omittendæ. Adeoque, ſi contra ac ea lex, pactio poſtulabat, fecerunt, accuſari poſſunt & puniri &c. *Piſ.* 13. *pactione obſtrictum* teneri. *Off.* III. 27. teneri *jurejurando*. Verr. IV. 34. *ſummo legum metu* teneri. *Fr. Cornel.* I. *ea lege non videri populum* teneri. *Cluent.* 52. *hac ſi lege Avitus* teneretur. *Ad Att.* XII. 18. *quodam voto ac promiſſo me* teneri. *Ad Fam.* V. 20. *prædes* teneri.

*Pœna teneri* dicuntur, qui eam meruere. *Ad Q. Fr.* II. 3. teneri *ea pœna*; *quæ eſt de vi*.

*Lege teneri* non modo, ut ante vidimus, dicuntur, ad quos ea pertinet, ſed etiam, qui contra eam fecerunt, ex ea rei ſunt, & ejus pœnam meruere. *Har. Reſp.* 8. *decrevit ſenatus eos*, *qui id feciſſent*, lege *de vi*, *quæ eſt in eos*, *qui univerſam rempublicam oppugnaſſent*, teneri.

*Tenere* in promiſſis eſt ſervare, facere promiſſa, pacta. *Off.* III. 29. tenendum *eſt*, *quod promiſeris*. Balb. 15. *fœdus cum magis fide illius populi*, *juſtitia veſtra* ... teneretur.

Contineri, conjunctum eſſe. *Leg.* I. 7. *Deorum agnatione & gente* teneri.

Notanda eſt etiam hæc conſtructio. *Leg.* III. 13. *niſi illi ipſi*, *qui frangere eas deberent*, *cupiditatis ejuſdem* tenerentur.

TERUNCIUS. Intellige, nummus, fuit olim quadrans, qui tres aſſis uncias continebat. *Ad Fam.* II. 17. *Ad Att* VI. 2. Hinc quoniam tota hereditas aſſe ſignificatur, *ex teruncio heres*, Ad Att. VII. 2. eſſet, qui quartam partem accipit, ex vetere vi teruncii. Sed conſtat, Ciceronis ætate teruncii illam ſignificationem, qua quadrantem valebat in ratione denariaria, abolitam fuiſſe, & in ſeſtertiaria, quæ invaluerat, ratione fuiſſe quadrageſimam partem ſeſtertii, ut ante denarii. Seſtertii autem tum quatuor aſſibus erant. Heres ergo ex *teruncio* eſt heres *ex uncia & quinque ſcripulis*. Et illud *ad Fam.* II. 17. teruncium *non attigit quiſquam*, eſt forma loquendi ex antiquis temporibus reliqua, qua ſignificatur nullam vel minimam partem quenquam cepiſſe.

TESTAMENTARIUS. Subjector teſtamenti, falſarii genus. *Off.* III. 18. *Sext.* 17.

Verr. I. 42. *lex* teſtamentaria.

TESTIFICARI. Teſtibus adhibitis tabulas & ſyngraphas facere, teſtibus confirmare, teſtatum facere. *Quint.* 6. teſtificatur, *Quintium non ſtitiſſe*. Tuſc. V. 11. teſtificaris *quid dixerim*. Cluent. 51. *voluit* teſtificari, *&c.*

Teſtes invoco. *Ad Fam.* VIII. 16. *Deos hominesque* teſtificor.

THENSA. Eſt vehiculum, quo ſimulacra Deorum in pompa Circenſi vehuntur; unde thenſæ apud Suetonium & alios inſignia divinitatis. *Verr.* I. 59. *via* thenſarum *& pompæ*. Ibid. III. 3. V. 72.

TOGATA. Intellige, Fabula. *Sext.* 55. eſt, quæ agitur ab actoribus togatis, in qua adeo Romanorum hominum facta & mores exprimuntur; ei opponitur *Græca*, quæ *palliata* dicitur; Græcis enim ita proprium pallium, ut toga Romanis.

TOGATUS. Pro cive Romano; quod civibus Romanis toga propria. Itaque togati opponuntur Græcis. *Roſc. Am.* 46. *ipſe vero* (libertus Chryſogonus) *quemadmodum paſſim per forum volitet cum caterva* togatorum, *videtis*. Indignum enim libertum deduci a civibus Romanis tanquam clientibus. *Verr.* I. 29. togati *creditores Græcorum*. Or. I. 24. *petam*, *ne has meas ineptias* (præcepta de arte dicendi) *efferatis*, *quanquam moderabor ipſe*, *ne*, *ut quidam magiſter atque artifex*, *ſed quaſi unus e* togatorum *numero*, *atque ex uſu foren ſi homo mediocris*, *&c.* Nempe magiſtros rhetorices ſe profitebantur Græci; his opponuntur togati.

Pro Latino. Nam Latini quoque toga utebantur, quod aut civitate poſt bellum latinum donati, aut certe ſocii pop. Rom eſſent & Rom. legibus uterentur. *Or.* III. 11. *Noſtri minus ſtudent literis quam* Latini. *Tamen ex iſtis*, *quos noſtis*, *urbanis*, *in quibus minimum eſt literarum*, *nemo eſt*, *quin literatiſſimum* togatorum *omnium*, *Q. Valerium Soranum lenitate vocis* ... *facile vincat*. Etiam Gallia Ciſalpina a togæ uſu *Togata* dicitur. *Phil.* VIII. 9.

*Togati* etiam opponuntur armatis, & ad pugnandum aptis, in quo toga impedimento eſt. *Cæcin.* 15. *advocatio* togatorum.

Off. I. 23. *qui* togati *reipublicæ præſunt*, opponuntur Imperatoribus.

TOLLERE. Suſcipere. *Verr.* III. 1. *quid oneris* tollant.

*Tolli alicunde* dicuntur, qui locum aliquem relinquunt. *Quint.* 3. tollitur *ab atriis Liciniis*.

Ad Q. Fr. II. 10. *ut te proficiſcens non* tollerem, intellige, in rhedam, aut lecticam, comitem itineris ſumerem.

Laudare. *Ad Fam.* XI. 20. *quod diceret*, *ſe dixiſſe laudandum adoleſcentem*, *ornandum*, tollendum; *ſe non eſſe commiſſurum ut tolli poſſit*. Nempe ambigue dictum erat τὸ *tollendum*, quod duo ſignificare poterat, laudandum & interficiendum.

*Liberos tollere* eſt agnoſcere natos pro ſuis liberis, & educare; unde deinde dicitur pro, creare liberos. *Div.* I. 21. *puerum*, *Priamo qui foret poſt illa natus*, *temperaret* tollere.

TRIBUNUS. Tria genera tribunorum ſunt apud Ciceronem: 1. *tribuni plebis*, de quorum inſtitutione, cauſis, juribus tirones cognoſcant ex *Liv.* II. 33.

2. *Tribuni militaret*. Ad Q. Fr. II. 15. Sunt autem tribuni militum in legionibus, ut præfecti in turmis, ſubjecti legato, ut ipſis centuriones, *vide* ad Fam. XV. 4. Creati ſunt modo a populo, modo ab imperatoribus. Ab his creatos docet locus *Ad Q. Fr.* II. 15. *M. Curtio* tribunatum *a Cæſare petivi*, *&c.* Ab populo creatos innuitur, *Act.* I. *Verr.* 10.

3 *Tribuni ærarii*. Planc. 8. Sunt ordinis plebeji; itaque cum lege Aurelia judicia cum omnibus ordinibus communicata eſſent, de plebe judicarunt tribuni ærarii. *Ad Q. Fr.* II. 16. 6. *ad Att.* I. 16. Per eos militibus pecunia ſtipendiorum numerabatur.

TRINUNDINUM, *ſive trinum nundinum*. Ternæ nundinæ, quibus, cum cives ex agris in urbem confluerent, ut fructus agrorum & alias merces ruſticas venderent, lex in comitiis ferenda promulgabatur, ut eam etiam atque etiam conſiderare cives poſſent, & candidati magiſtratuum petebant. Ternæ autem nundinæ cum diebus interjectis conficiunt ſummam ſeptemdecim dierum; non, ut quidam docti viri exiſtimarunt, ſeptem & viginti. Numerandorum dierum enim initium fit a nundinis primis, & deſinit in tertiis: nundinæ autem ſecundæ more Latino bis numerantur, ut ſint & dies nonus a primis nundinis, & primus dies in altera enneade dierum.

## V U.

VACATIO. Ejus eſt, qui a quacunque re moleſta aut laborioſa liber eſt. Res, a qua quis liber eſt, adjicitur interdum, interdum omittitur, *Phil.* V. 19. vacatio *militiæ*. Font. 4. *pretium ob* vacationem *datum*, nempe a munere viæ publicæ muniendæ. *Ad Fam.* IX. 6. *quæ ſtudia magnorum hominum ſententia*, vacationem *habent publici muneris*, hoc eſt, poteſtatem faciunt a republica gerenda abſtinendi. Sed non ſolum genitivus rei, a qua quis liber eſt, adjicitur, verum etiam cauſæ, propter quas liberatur. *Cæl.* 12. *ſeveritati tuæ, ut oporteret, reſpondere non audeo, erat enim meum deprecari* vacationem *adoleſcentiæ, veniamque petere*. Leg. I. 3. *ego vero ætatis potius* vacationi *confidebam*.

VADARI. Eſt, jubere aliquem datis ſponſoribus polliceri, ad diem certam ad agendum de re aliqua certum ad locum venturum, & eſt petitoris; unde autem petitur, *vadimonium promittit*. Quint. 6. *ſe jam neque* vadari *amplius, neque vadimonium promittere*. Verr. III. 15. *cum Apronius a Leontinis uſque Lilybæum aliquem* vadaretur *ex miſeris aratoribus*. Confer *Quint.* 19.

VADIMONIUM. Eſt 1. præſentia aut ab eo, quem quis eſt vadatus datis vadibus, ſive ſponſoribus promiſſa, aut a ſponſoribus, qui ejus qui vadatur, præſentiam alterius ſua fide & periculo ſuo promittunt. Hinc formulæ, *Quint.* 6. vadimonium *promittere*. Ibid. 8. vadimonium *ſiſtere*, *&c.*

2. Ipſa poſtulatio & promiſſio præſentiæ. *Ibid.* 6. *hominem in præſentia non vadatur; ita ſine* vadimonio *diſceditur*. Ibid. 5. *res eſſe in* vadimonium *cœpit*, hoc eſt, res eo venerat, ut ſibi inter ſe præſentiam certo die promiſiſſent. *Ibid.* 18. *quæſivit, quo die* vadimonium *iſtud factum eſſe diceres*. Ad Q. Fr. II. 15. *nemo fuit in tanta multitudine, qui* vadimonium *concipere poſſet*, hoc eſt, JCtus qui formulam poſſet ſcribere, qua vadimonium poſtularetur & promitteretur.

3. Ipſa dies, qua præſentia poſtulata & promiſſa eſt. Senect. 7. *meminere* vadimonia *conſtituta*. Quint. 5. cum vadimonia *dilata eſſent*. Ad Fam. II. 8. ad Quint. 16. *ad* vadimonium *venire*. Ibid. *deſerere* vadimonium. *Obire* vadimonium.

VAS. Obſes, qui cavet populo in cauſa capitis, quæ nempe vel maxime ad populum & rempublicam ſpectat, unde cauſa publica dicitur. *Ad Brut.* 18. *me pro adoleſcentulo* vadem *accepit reſpublica*. Tuſc. V. 22. *quorum cum alterum* vadem *mortis accepiſſet: alter ut* vadem *ſuum liberaret, præſto fuiſſet ad horam morti deſtinatam*.

VASARIUM. *Piſ.* 35. pecunia quæ ex ærario magiſtratibus in provincias euntibus dabatur ad comparanda vaſa, quibus opus haberent. Vaſa autem hic ſumuntur latius, pro eo, quod Galli dicimus *meubles*. Sed in itinere in provinciam, in militia, *vaſa* dicuntur, in urbe *ſupellex*.

VECTIGAL. Proprie eſt pecunia, quæ pro vectura ſolvenda eſt; ſed deinde in genere dictum eſt pro omni reditu reipublicæ e decumis, ſcriptura, & portorio.

*Ad Att.* V. 21. vectigal *prætorium*, eſt pecunia, quam provinciarum civitates dare prætori ſolent, & a prætoribus, ſalva lege de repetundis, accipi poteſt.

Hinc vectigali ſimile fuit *vectigal æditiorum*. Ad Q. Fr. I. 1. 9.

Hinc etiam de reditibus privatorum hominum dicitur, ut in illo: *Parad.* 6. *magnum* vectigal *parſimonia*. Ibid. *ex meo tenui* vectigali.

VERBUM. *Verba facere* tribus modis eſt apud Ciceronem. Primus eſt cum de habente orationem dicitur, qui eſt vulgatiſſimus. Alter, de magiſtratu referente ad ſenatum. Tertius, de recitante formulam dedicationis: *Dom.* 46. *ſi is Q. Cæpionis inimici ſui poſtem ædium tenuiſſet, & pauca* verba feciſſet, *ædes Cæpionis eſſent dedicatæ*.

Dom. 52. *verba* cadunt, de eo, qui verbum præ perturbatione animi proloqui nullum poteſt, aut obmuteſcit.

*Tuſc.* II. 12. verbo *de ſententia deſtitit*, hoc eſt, paucis monitus, facile ceſſit.

Ap Att. XVI. 11. *ſuavium* meis verbis *des*.

*Verba* ſunt etiam formula, quam prætor præſcribit judicibus, ut ex ea judicent. *Quint.* 20. *judicium accepit* in verba, *&c.* & ſic ſæpe.

VERNACULUS. Eſt proprie domi natus, a verna, qui eſt ſervus domi natus; unde quicquid domeſticum, domo allatum dicitur, id etiam vernaculum dici poteſt. *Or.* III. 24. Craſſus de ædilitate ſua: *opus eſt rebus exquiſitis undique, & collectis, arceſſitis, comportatis, ut tibi, Cæſar, faciendum eſt ad annum, ut ego in ædilitate laboravi, quod quotidianis &* vernaculis *rebus ſatisfacere me poſſe huic populo non putabam*. Verr. III. 61. *crimen domeſticum &* vernaculum, *hoc eſt*, fictum ab accuſatore.

Hinc *vernaculum* dicitur pro nativo, genuino, urbi Romanæ proprio. *Brut.* 46. *Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat neſcio quo ſapore* vernaculo.

VERSURA. Eſt ſumptio pecuniæ mutuæ; unde duæ formæ loquendi. Prima eſt, *Cæl.* 7. *Font.* 1. *Verr.* II. 76. *Flacc.* 20. verſuram facere *ab aliquo*, quæ ſignificat ſimpliciter, pecuniam ab aliquo ſumere mutuam. Altera eſt *ad Att.* V. 1. verſura *facta* ſolvere. *Tuſc.* I. 42. *ſine* verſura diſſolvere, *hoc eſt*, debitum ſolvere ita, ut alius debitor fias.

VIATICUM. Pecunia, quæ ex ærario datur ad magiſtratibus provincialibus, quæſtoribus, legatis, inſtrumenta itineris comparanda, ut tabernacula, mulos &c. dabatur autem pecunia redemptoribus, qui hæc viæ inſtrumenta curabant. *Ad Fam.* XII. 3.

VIATOR. Miniſter magiſtratum, quo utuntur, ad homines arceſſendos. *Cato*, 16. *a villa in ſenatum arceſſebantur & Curius & cæteri ſenes: ex quo, qui eos arceſſebant*, viatores *dicti ſunt*. Confer *Vat.* 9. *Font.* 13.

VICARIUS. Servus ſervi lautioris de peculio emptus, unde & peculii pars. *Verr.* I. 36. *homines* (ſervi) *alii redditi, alii etiam nunc retinentur; peculia omnium* vicariique *retinentur*. Ibid. 3. 38. *hic Diognotus* vicarium *nullum habet, nihil omnino peculii*. Sed in univerſum dicitur de omnibus, qui alterius loco operam præſtant: ſic procurator & cognitor dicitur *alieni juris* vicarius, Cæc. 20. & ſucceſſorem ſuum Cicero appellat *Mur.* 37. vicarium *ſuæ diligentiæ*, *&c.*

VICESIMA. Ad Att. II. 16. *agro Campano diviſo, quod vectigal ſupereſt domeſticum, præter* viceſimam? Eſt autem viceſima pars pecuniæ, qua vendi poſſet ſervus qui manumittitur. *Liv.* VII. 16.

*Ver.* II. 75. *ſcribit H-S. LX. ſocios perdidiſſe ex* viceſima portorii. *Syracuſis*. *Viceſima portorii* eſt ipſum portorium, pro quo dabatur viceſima pars rerum quæ exportabantur.

VINDICIÆ. Eſt controverſia forenſis, de poſſeſſione alicujus rei, quam noſtram eſſe dicimus, cum alius teneat. *Verr.* I. 45. *pro præde litis* vindiciarum *ſatis dare*. Mil. 27. *injuſtæ* vindiciæ.

VINDICTA. *Rabir. Perd.* 5. *una* vindicta *liberavit*. Top. 2. vindicta *liber factus*. Virgula, quam Prætor manumittendi ſervi capiti imponens, eum in libertatem vindicabat, hæc verba ſolennia dicens: *Ajo te liberum more Quiritium*.

VIRTUS. *Tuſc.* II. 18. virtus *ex viro appellata eſt; viri autem maxime propria eſt fortitudo*; itaque ab hac cæteras ſic appellatas putat. *Fin.* V. 13. *ita fiet, ut animi* virtus *corporis* virtuti *anteponatur; animique* virtutes *non voluntarias vincant* virtutes voluntariæ: *quæ quidem proprie virtutes appellantur*.

Fortitudo militaris. *Sext.* 65. *aditus in illum ſummum ordinem civium induſtriæ ac virtuti pateret*. Nempe *induſtria* cernitur in cauſis in foro agendis, *virtus* in re militari; his duabus artibus enim aditus in curiam muniebatur. Sic *Muren.* 10. *rei militaris* virtus, opponitur *forenſi laudi & induſtriæ*.

Ars, diſciplina, facultas alicujus artis *Offic.* I. 32. *itaque ſe alii ad philoſophiam, alii ad jus civile, alii ad eloquentiam applicant: ipſarumque* virtutum *in alia alius mavult excellere*.

VISIO. Vox philoſophica, idem ſignificans, quod *viſum*, de quo mox. *Tuſc.* II. 18. viſio *doloris & ſpecies*. Acad. IV. 11. viſio *veri falſique communis a quibuſdam putatur*.

VISUM, ſeu VISUS. Species alicujus rei in animo impreſſa, impulſio oblata extrinſecus, φαντασία. *Nat. D.* I. 5. viſum *habent inſignem & illuſtrem*. Tuſc. I. 41. viſa *ſomniorum*. Acad. I. 11. & pluribus aliis locis: nam in Academicis multa eſt de viſis diſputatio.

URBANITAS. Virtus ingenii animique, qua eleganter poſſumus, ut homines in urbe liberaliter educati, de omnibus rebus judicare, neque aliquid inepti & abſurdi dicimus & facimus, ſed potius venuſte & cum ſpecie quadam liberali: & eſt hoc genus urbanitatis per totam vitam, orationem, moreſque fuſum. *Ad Fam.* III. 7. *ad Att.* VII. 2.

Facultas jaciendorum dictorum, apophthegmatum lepos, ut Salluſtius in Sempronia appellat. *Ad Fam.* VII. 32. Urbanitatis, *amabo, poſſeſſionem quibusvis interdictis defendamus*.

Ipſa dicteria. *Cæl.* 3. *contumelia ſi facetius jactatur*, urbanitas *nominatur*. Fin. II. 3. *in quantam hominum facetorum* urbanitatem *incurratis*. Or. I. 5. *celeritas & brevitas reſpondendi & laceſſendi, ſubtili venuſtate atque* urbanitate *conjuncta*.

Venuſtas quædam in ſono vocis, & Romæ natis & educatis propria. *Brut.* 46. urbanitatis *color*; qui quid ſit in voce, ibi explicatur.

USUCAPIO. Eſt jus rei poſſidendæ, ſive dominii adeptio, ut Juris-conſulti loquuntur, quæ oritur ex eo, quod rem per certum temporis ſpatium, idque lege definitum, ſine controverſia, poſſedimus. *Cæcin.* 26. uſucapio *fundi*, hoc eſt, *finis ſollicitudinis ac periculi litium, non a patre relinquitur, ſed a legibus*. Leg. I. 21. uſucapionem XII. *tabulæ inter quinque pedes eſſe voluerunt*, *&c.*

USUS. Poſſeſſio rei non interrupta per certum ac legibus definitum temporis ſpatium, qua res noſtra fit, ut nemo amplius nobis de ea litem movere poſſit. *Har. Reſp.* 14. *mortales nihil a Diis immortalibus* uſu *capere poſſunt*. *Cæcin.* 19. *auctoritatem fundi, &* uſum *lex jubet eſſe biennium*.

VULTUS. Oris conformatio ex animi habitu orta. *Ad Fam.* 12. 30. vultus *tuos mihi expreſſit omnes*.

*Dom.* 52. vultus *cadit*; de perterritis ſubito.

UXORIUS. *Offic.* III. 15. *in arbitrio* rei uxoriæ *hæc verba maxime excellunt: melius æquius*. *Res uxoria* eſt dos, quam uxor attulit, & de qua poſt divortium contentio eſſe ſolebat.